DE
LAMPADIBUS SEU LUCERNIS
PENSILIBUS

LUCÆ FANCIULLI

AUXIMATIS ECCLESIÆ PRESB. CANONICI

DE

LUCERNIS SEU LAMPADIBUS PENSILIBUS

IN SACRIS CHRISTIANORUM ÆDIBUS



MACERATÆ MDCCCII.

TYPIS BARTHOLOMÆI CAPITANII

PRÆSUL. FACULTATE.

Exempla ex vetere memoria, & monumentis, ac literis, plena dignitatis, plena antiquitatis; hæc plurimum solent & auctoritatis habere ad probandum, & jucunditatis ad audiendum.

Cicero Act. IV. in Verr. Lib. III.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

STEPHANO

S. R. E. CARDINALI

BORGIÆ

LUCAS FANCIULLIUS

Cui magis, quam Tibi, EMINENTISSIME PRINCEPS, *Opella isthæc nostra de Lampadibus, seu Lucernis pensilibus in sacris Christianorum Ædibus nuncupari, ac sisti posse videatur? Agitur in ea de antiquis Majorum nostrorum monumentis singularibus, quæ, ut potui, pro ingenii studiique viribus illu-*

stranda duxi eo adductus consilio, ut res, ab aliis Scriptoribus vel nihil, vel leviter admodum pertractata, ea quidem numeris omnibus absoluta, si fieri possit, nostratibus videretur. Te vero hactenus in ea re peritiorem novi neminem. Jam vero videt unusquisque, non eam mihi mentem esse, ut in laudes excurram, quæ ad Gentem tuam Borgiam pertinent, vel in primis nobilissimam, eamdemque antiquissimam; cujus etiam Avos, Atavosque virtutis omnigenæ fama illustres nemo unquam ornato copiosoque dicendi genere digne satis concelebret. Hæc alii, qui sæpe in summorum Virorum laude minora magis, quam quæ majora sunt, diligentissime persequuntur ac ponunt. Ego vero literaturam maxime demiror tuam, quæ sibi una, mea quidem sententia, quidquid est ubique verarum laudum, nihil ipsa cum aliis communicante, ~~nihilque aliis inde sibi decerpentibus~~, id totum quasi suo jure vindicat. Quid? Non es Tu, qui unus adolescens, ac pene puer doctrinæ, & eruditionis maximæ argumenta certissima ad intuendum prætulisti? Quos ingenio, ac labore fructus ex sacrarum, & prophanarum Antiquitatum studiis perceperis, satis aperte declarat Joan. PP. XVI. monumentum a Te illustratum, ut tacitus præteream in Beneventanam Historiam, in Vaticanam Confessionem

B. Petri Apostolorum Principis, in Crucem Vaticanam, in Crucem Veliternam, & in alia bene multa elucubrationes tuas eruditis omnibus probatissimas. At enim tacitus praterire possum nullo modo Bibliothecam, Borgianumque Museum lectissimum, idemque mirificissimum, quod cum vetustis monumentis innumeris, tum Lucernis, ac Lampadibus ornatum, duabus præsertim prægrandibus, opere mirifico Ethnicorum usui destinatis, quarum alteram duodecim, sex alteram in gyrum lychni distinguunt, non modo Itali; verum etiam transmarini viri doctissimi spectatum undique conveniunt: quodque sane cum magnificentiam, tum & librorum omnium, Codicumque, Marmorum, ac Numismatum studium tuum maximum declarat. Quid vero plura commemoro, cum doctrina, scientiaque tua singularis cum pari morum integritate, vitaque sanctitate conjuncta ita semper egregiis viris, ac præsertim summis Pontificibus perspecta fuerit, ut in honore apud eos, & in pretio merito extiteris qua privatus, qua publice gerendis rebus præfectus? Demiranti mihi versabantur animo hæc omnia, cum tandem tuo Nomine Opellam meam inscribendam, & ornandam censui spe certa fretus fore, ut ea Tibi Mæcenati Optimo minus ingrata sit; & ego, si forte aliquid reponatur ab hominibus

*in hisce rebus intemperantioribus, **Duce Te, Patrono-que**, nihil timeam. Quod reliquum est, lætus sum, ut ut meæ res sese habeant, mihi etiam obtigisse, ut eximia humanitate, qua præditus es, uti possim, quod omnes volunt; meque hoc levidense munusculum, qualecumque est, offerentem præsidio tuo validissimo tuearis.*

Hæc dabam Auximi Anno Rep. Sal. MDCCCII.

ΠΡΟΛΗΨΙΣ

Sive Anteloquium.

Neminem Eruditorum latere arbitror, apud sacrarum Antiquitatum Scriptores mentionem de Lampadibus haud raro occurrere, dum ipsi de Christianorum templis tractationem instituunt. Verum enim vero illud satis mirari non queo, cuncta & singula ab eis, quae prisco aevo in Ædibus sacris conspiciebantur, recenseri, eademque egregiis Commentariis illustrari; dum vero Lampades ibi collucentes memorant, parum, vel nihil de ipsarum origine palam faciunt. Hanc sane rationem inierunt omnes, si unum, vel alterum excipias. Hi vero, tantum abest, ut hac de re argumentum confecerint, ut potius in limine constitisse fere videantur; adeo parce, & jejune sunt elocuti (1). Quae cum ita sint, hanc ipse spartam adornandam constitui, eo mihi proposito fine, ut de

(1) Prodiit proxime elapsi Saeculi exordio *Hafniae* apud Germanos --- *De Sacro luminum usu Dissertatio* (titulus hic est) *Historico Ecclesiastica*, *quam clementer adspirante Deo*, *& permittente Senatu Academico*, *examinandam sistit Mathias Hagerup*. Scriptionem suam Vir cetera eruditus uno folio, & ne integro quidem absolvit; adeo ut argumentum dixeris ab eo adumbratum; sic enim presso, levissimoque brachio illud pertractat. Super omnia in id incumbit, ut calumnias Haereticorum, Sacros Romanae Ecclesiae Ritus irridentium, evellat, & confodiat. Haud multis deinceps annis idem praestitit Cl. Muratorius in sua ad Magliabecchium Epistola --- *De Templorum apud veteres Christianos ornatu*, *ac de diurno in eis Cereorum usu*. Ibi Vir doctissimus non pauca adspergit de lampadum in Ecclesiis usu, quod quidem ad hunc maxime finem, ut Johannem Henricum Ottium Calvinianae Sectae addictum, Sacrorum Templorum ornamenta corrodentem, exagitet; propterea que Sancti Paulini Nolani auctoritate nititur, ut ipse ait, cujus quidem Operum Editionem paulo ante paraverat. Mitto Vignolium, Blanchinium, Baldinium, ac ceteros omnes, qui Librum Pontificalem, vel opus Anastasii Bibliothecarii de Vitis Romanorum Pontificum ediderunt, & eruditis adnotationibus prosecuti sunt; ipsi quidem Lampadum dumtaxat nomina, quarum mentio in eis fit, explicare satis habuerunt, nihil de illarum in Ecclesiis origine, & usu soliciti.

Lampadibus in sacris Christianorum Ædibus ad emittendum lumen adhibitis, ea qua decet amplitudine, disputem, nihilque de iis, quæ hujusmodi argumentum spectant, intentatum relinquam. Agedum ergo tres potissimum partes complectetur oratio nostra. Primo loco lampadum originem rimabimur, quo scilicet tempore adhiberi in templis illæ cœperint. Secundo de variis Lampadum figurationibus, sive formis erit disputatio; unde factum, ut aliæ diversam ab aliis acceperint nomenclaturam. Denique de oleo ad easdem Lampades incendendas usurpato agemus, quod modo simplex, nempe ex olearum nostratium pressura eductum, modo idem liquoribus permixtum demonstrabimus. Equidem hac in re aliquantulum immorari conveniens erit, ut iis, quæ tractationi nostræ opportuna videntur, fiat satis. Habes, amice Lector, totius Operis prospectum. Quare solvenda nunc ratis est, & iter arripiendum.

CAP.

CAP. I.

De Lampadum in Templis collucentium origine.

Principio quidem id pro certo haberi debet, Lampadum, seu Lucernarum sacris in Ædibus originem ab Hebræis fore arcessendam, auctore ipso Deo, qui hunc morem sapientissima sua invexit ordinatione. Id plane liquet e sacris prisci fœderis tabulis = *Pracipe*, (sic enim ipse Deus Moysi locutus est) *Filiis Israel, ut offerant illi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum, ut ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonii* = statimque hæc verba subduntur = *Et collocarunt eam Aaron, & filii ejus, ut usque mane luceat coram Domino. Perpetuus erit cultus per successiones eorum filiis Israel* = (1). Hic nonnulla notatu digna occurrunt. Primo namque locandam in tabernaculo jubet Deus lucernam, quæ indesinenter ardeat; mox cuncta adamussim enunciantur, quæ ad lumen excutiendum splendentissimum requiruntur; opus enim esse dicitur, ut lucerna oleo prima nuce (quod quidem purissimum esse constat) repleatur, dein ut elychnium filo compactum in ipso oleo denatet; unde illico accensum lucem quaque versus effundat. Divino quidem mandato obsequentissime paruerunt Hebræi semper diligentissime, excitatoque per Regem Salomonem mirabili illo Templo locatum fuit ibi candelabrum aureum, *heptaphorium* vel ἑπτάμυξος idcirco appellatum, quod lucernas septem apto ordine dispositas, singulasque lu-

(1) Exod. 27. 21. Non me latet doctissimum Pagninium Vulgatæ verba --- *Ut ardeat lucerna semper &c.* sic interpretari --- *Ad faciendum ascendere semper* --- Sed ardendi verbum rectissime ab eadem Vulgata usurpatum adfirmo, sicuti & ante a LXX. Interpretibus, apud quos hic locus redditur --- ἵνα καίηται λύχνος διὰ παντός: ut ardeat lucerna semper. Ratio autem in promptu est; siquidem radix ipsa עלה *alah* ardendi significatu pollet. Ut ut sit, non pœnitebit advertere hanc ipsam Dei ordinationem ab Ecclesia subindicari in una ex Collectis, sive Orationibus, quæ festo die Purificationis B. M. V. pro candelarum benedictione recitantur. Illa sic se habet = *Omnipotens sempiterne Deus, qui per Moysen famulum tuum purissimum olei liquorem ad luminaria ante conspectum tuum jugiter concinnanda præparari jussisti &c.*

lumen emittentes sustentaret. Id sane ex iisdem antiqui fœderis tabulis luculentissime emergit (2). Cum autem Hebræi in captivitatem acti, loco Templi Hierosolymitani per Babylonis Regem disiecti, ac solo æquati, Synagogas ad Deum precandum, nec non sacrificia peragenda consti-

(2) Vid. Exod. 25. 30. It. 30. 8. *Numeror.* 8. 3. *Paralipom.* 1. 15. Rursus 2. 29. 7. ubi expostulat Ezechias, quod impii Majores sui, abolito Dei cultu, *etiam extinxerunt lucernas.* Certant autem inter se Interpretes de voce *semper* in præcitato Exodi loco 27. 21., ubi demandatur Moysi, ut lucerna *ardeat semper &c.* Sunt qui putent, lucernam ipsam indesinenter, nulla temporis concessa intercapedine, diu noctuque arsisse. Contendunt vero alii, illam e regione Tabernaculi, ac Mensæ propositionis positam, noctu dumtaxat emicasse, adeo ut, suboriente sole, statim extinguerëtur. Josephus plane *lib.* 3. *sacrar. Antiquitat. cap.* 4. verba faciens de Candelabro aureo septem lucernis instructo, & in *Sancto Sanctorum* collocato, ait quaternas dilapsa nocte extinctas fuisse, reliquas vero tres per diem quoque accensas perdurassè. Josepho adhæret Hecateus Adelrata *in Eusebii Præparat.* 2. Huc accedit Philonis auctoritas, quæ quidem maximi est facienda *Libr. de Victimas offerentibus.* Neque ullum negotium facessit adverbium *semper*; adeo ut septem lampades, quæ simul unitæ lucernam ipsam componebant, continenter diu noctuque coruscasse inferas; nam bene stat, si dixeris lampades omnes noctu semper arsisse, quamvis sub ejus finem, & appropinquante die extinguerentur. Præterea quod adverbium τό *semper* usurpetur aliquando pro statis temporibus, & horis, non desunt exempla in iisdem sacris Literis, præcipue vero *Exod. cap.* 25. *v.* 30. Denique ipsas lampades sub ortu solis defecisse, manifesto eruitur *Reg. lib.* 1. *cap.* 3. *v.* 3. ubi de Sacerdote Heli perhibetur, quod --- *jacebat in loco suo, & oculi ejus caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur &c.* Quæ sane verba sic interpretatur Calmetius --- *Designatur hic hora visi a Samuele Dei, & tempore, quo lucernæ aurei Candelabri positi in Sancto Sanctorum fuerint extinctæ, idest ante exitum noctis, & sub crepusculum; extinguebantur enim eæ lucernæ ante solis exortum.* Vid. ejus Commentar. ad citat. Regum libri locum. Ut ut res se habeat, certo constat hinc morem apud eosdem Hebræos derivasse, ut Sabato, aliisque per annum diebus lucernæ in Synagogis accenderentur. Huic sane consuetudini alludit Persius *Sat.* 5. --- *Dispositæ pinguem nebulam evomuere lucernæ.* Eo pertinet Canon LXX. nomine Apostolorum, quo segregari jubetur, quicumque Christianus oleum ferret in Synagogam Judaeorum in eorum festis, vel lucernam accenderet. Seneca quoque de eodem ritu loquitur, quippe qui verba faciens de iis, qui ad Judaeorum Conventum se conferebant, Proselytismum amplectentes: ita scripsit *Epist.* 95. --- *Quomodo sint Dii colendi, solet præcipi; Accendere aliquam lucernam Sabatis probibeamus, quoniam nec lumine Dii egent, & ne homines quidem delectantur* --- Postremo quod Candelabrum [illegible] spectat, ejus descriptio habetur *Exod.* 25. 31. nec non ejusdem notio elicitur perspicue ex insculpto inter Arcus Titiani anaglypha Candelabro. Quid vero factum de illo fuerit post Templi Hierosolymitani excisionem, narrat auctor Historiæ Miscellæ *lib.* 16. apud Muratorium T. 1. *pag.* 106. Siquidem Belisarius inter vasa pretiosa a Genserico in Africam ex Romana, uti reor, direptione abducta, reperit & Judaica, inter quæ erat fortasse Candelabrum --- *Inter quæ*, ait idem Auctor Miscellæ, *& Judæorum vasa, quæ Titus Vespasianus post captam Hierusalem Romam detulerat.* De eodem Templi Hierosolymitani Candelabro videnda *Exercitatio* Georgii Michaelis Doderini in Thesauro Antiquitatum sacrarum &c. Biasii Ugolini *Vol.* XI. *Opusculor. n.* 6.

stituerint (3), tum vero in ipsis Synagogis Lucernam tenere semper pro virili parte curarunt. Tandem insecutis temporibus, Templo Hierosolymitano iterum excitato, ibi Candelabrum una cum lucernis accensis adservatum fuisse testatur Josephus in suis Antiquitatibus (4). Adde, quod ipsius Candelabri cum lucernis in eodem Templo collocati manifesto meminit Scriptor Historiæ Machabæorum (5). Ex his igitur apertum fit, exploratumque, Hebræos in sacris eorum Ædibus, Templo nempe Hierosolymitano, ac Synagogis, lampades olei ope ardentes adhibuisse; propterea que ipsarum lampadum originem, quoad sacras Ædes pertinet, iisdem Hebræis acceptas referri debere, quod quidem ex iis, quæ deinceps dicturi sumus, clarius innotescet. Equidem non sum nescius, Philonem (6), cui Clemens Alexandrinus (7) & Eusebius (8) adstipulantur, adfirmare, Ægyptios cæteris populis anteivisse, & idipsum quoque probare studet his ductus auctoritatibus Polidorus Virgilius. At de singulari lucernarum specie ipsi loquuntur, quam quidem speciem in eo versatam fuisse scribit Diodorus Siculus (9) ut pro oleo liquorem, quem *Cinna* vocabant Ægy-

(3) Nemo sane in historicis Judæorum rebus vel mediocriter versatus ignorat, Synagogas erigi cœptas post Babylonicam Servitutem. Tunc enim Hebræis ad patrium solum reversis, cum locus deesset, ubi ad preces Deo publice fundendas, & sacra Legis peragenda sese colligerent, Synagogæ patuerunt, quæ quidem novo etiam Templo excitato permanserunt, eædemque nostra adhuc obtinent Ætate. Vid. Dom. Prideaux *Storia de' Giudei, e de' Popoli vicini ec. Par. I. lib. VI. pag.* 288. *T. II.* Dissentiunt quidem inter se Interpretes, num ubique locorum Synagogæ extiterint, putantque nonnulli, solis in Civitatibus excitatas. Sed opinio hæc revincitur ex illo *Math.* 9. 39., ubi dicitur quod = *circuibat Jesus omnes Civitates, & Castella docens in Synagogis eorum* = Porro nisi mavelis illud *κώμας*, quod est in Græco, & Latine vertitur *Castella*. intelligi debere *Civitates minores*, haud dubium in iis locis, qui Civitatibus inferiores erant, proseuchas fuisse, quo Hebræi ad precandum coibant. Vid. Cl. Mazochium *T. III. Spicileg. Bibl.* pag. 29.

(4) *Lib.* 3. *Cap.* 4.

(5) *Lib.* 1. *cap.* 4. *v.* 50. de lampadum apud Hebræos usu hauriri potest monumentum e Micheæ Prophetia *cap.* 6. *v.* 7., ibi enim legitur: *Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus pinguium &c.?* Jamvero in textu originali pro voce *pinguium* habetur *fluentorum olei*, quo denotantur lampades in Templo ardentes; quare docte, sapienterque locum hunc commentatur Ugo Grotius, & pone eum Mathæus Polus in sua Synopsi Criticor. *Tom. III. col.* 1858. --- Oleum usitatum in sacris Hebræorum *Lev.* 2. 1. *& ad Lychnos.*

(6) *Vid. Lucernas Fictil. Joban. Bapt. Passerii T. I. §. III. pag. IV.*

(7) *Stromat. I.*

(8) De Præparat. Evang. *lib.* 10. *cap.* 6.

(9) *Lib. II.*

Ægyptii, adhiberent, propterea que lampadibus ad hunc modum instructis Festa eorum concelebrasse tradit Herodotus.

CAP. II.

Explicantur tum veteris, tum novi fœderis loca, in quibus Lampadum mentio occurrit.

Antequam ultra progrediamur, haud parum frequentia divinorum Librorum loca esse nemo ignorat, in quibus lampades exprimuntur. Longum sane foret, omnia, & singula recensere. Recte igitur visum est inferne ea solis citationibus indicare (1). Atqui illud oportet primo statuere, ratumque simul, ac firmum habere, Lampadis nomen iisdem in locis ampla sæpe sæpius significatione sumi, exprimendi causa faces, tædas, & qualemcumque ignitam materiem, quæ lumen effundit. Et vero, cum lampadis appellatio cunctis populis valde communis fuerit, ut docet Chronicon Alexandrinum, a splendore quidem dicta; hinc certe mos inductus, ut ea, quæ ipsum splendorem quoquo modo emittunt, *lampadis* nomine donarentur (2). Quid igitur? Figurato, ut ajunt, sensu nomen lampadis usurpatum fuisse a divinarum Litterarum Scriptoribus, facili negotio patet eadem loca expendenti. In rei confirmationem lubet unum ex libro Judith petitum proferre. Narrat ergo Historiographus, Assyriorum ducem in Hebræorum ditionem irruentem, ut seposita diritate humanior in eos fieret, tot tantisque observantiæ, & honoris significationibus exceptum = *Ut universarum Urbium habitatores, principes, & honorati simul cum populis exirent obviam venienti, excipientes eum cum coronis, & lampadibus ducentes choreas in tympanis, & tibiis.*

(1) *Gen.* 15. 17. *Exod.* 20. 18. *Jud.* 7. 15. *Job.* 12. 5. *Cantic.* 8. 6. *Isa.* 62. 1. *Ezech.* 1. 13. *Dan.* 100. 6. *Machab.* 1. 6. 39. Hæc veteris Testamenti loca sunt. Quod spectat ad novum, mentio habetur *Apocalyps.* 4. 3

(2) *Vid. Laudat. Passer. in suis Lucernis Fictilib.* T. I. §. *V. pag. V.*

tibiis &c. (3). Porro *lampadum* nomine intelligendas hic faces, sive tædas accensas, concors, & constans est interpretum sententia. Præ cæteris audiendus Serrarius Bibliorum explanator non parum fundatus, qui pulchre in hunc modum eloquitur = *Ne intelligas*, inquit, *lampades oleo, aliave materie concinnatas, sed ex dura, atque concreta, alioquin confractis hydriis effusum fuisset oleum, extincta flamma. Lignei erant torres ex oleaginosa aliqua arbore comparati; qui ignem accipere, ac fovere diutius possent vento reluctante excitandum, augendumque potius, quam extinguendum &c.* (4). Haud igitur dubium, hoc sensu in sacris literis generatim *lampadis* nomen usurpari. Nisi quod, ab earum numero demas opus est, lampades illas, quibuscum decem apud Mathæum Virgines Sponso & Sponsæ obviam noctu ivisse dicuntur (5); etenim ex ipsa narratione emergit, lucernas fuisse portatu commodas, & oleo (quod prudentes spectat) concinnatas; imo ibi forte lampadum nomine laternæ subindicantur; scribit enim Pollux in suo Onomastico = *Quam vero nunc lampades vocant, ea & laterna dicitur* = (6.) Denique lampades, quarum mentio fit in Actis Apostolicis, significatione pariter propria accipiendas fore, res ipsa loquitur (7). Cæterum si reliqua divinarum Scripturarum loca percurrantur, constat lampadum nomen lata significatione sumi, & per eas torres, tædas, facesque designari (8). Quod erat hic a nobis demonstrandum.

CAP.

(3) *Judith. 3. v. 9. & 10.*

(4) *Vid. Cornel. a Lapid. ad Libr. Judith. loc. cit.* ubi verba ejusdem Serrarii recenset.

(5) *Math. 25. 1.*

(6) *Lib. X. cap. 16.*

(7) *Act. Apost. 20. 7.*

(8) Etiam Ecclesiæ Patres tædas, torres, facesq. accensas *lampadum* nomine condonarunt. Præterea *lampadum* vocabulo intelligendas puto lucernas pensiles, & portatu commodas, quarum mentio frequens in Martyrum actis occurrit --- *Precedentibus Christi fidelibus cum facibus, & lampadibus.* Sic habetur in Actis S. Episcopi, & M. Cypriani, nisi forte lampadum nomine hic etiam laternæ exprimantur.

CAP. III.

Lampadum usus in sacris Ædibus ab Ethnicis adhibitus, religioseque servatus.

Nemini plane incompertum, Ethnicos fere omnia, quæ ad Religionem pertinent, potissimum vero ritus, ac cæremonias, ab Hebræis mutuatos fuisse. Et sane morem incendendi lampades in Fanis, ac Delubris ab Hebræis ad Ethnicos dimanasse auctor est Daniel Huetius, qui inde factum putat, ut ignis accensus instar lucernæ coruscantis in Templo Hierosolymitano diu noctuque in iisdem delubris servaretur (1). Ut ut res se habeat, de more hoc apud Ethnicos propagato fidem faciunt Scriptores tam Græci, quam Latini testatissimam. Eloquar primum de Græcis, quos inter principem vindicat sibi locum Plutarchus, qui Athenis χρύσεον λύχνον, auream scilicet lucernam in Æde Minervæ arsisse scribit (2). Subdit præterea lucernam inextinguibilem luxisse in Templo Jovis Ammonis apud Afros. Venit secundo loco Athenæus, qui χεραπινου φοσφόρου λύχνον σελας, nempe lychni e cornu lunæ ferentis splendorem meminit in Arce Athenarum, lucernasque Pritaneorum insuper commemorat, quarum usum in omnibus Græciæ urbibus obtinuisse testatur (3). Athenæo jungendus Pausanias; is enim lucernam per annum ardentem in templo Palladis observavit Athenis ex inextinguibili lino carpasio (4). Insuper nocturnus Lampadum usus in Sacello Eumenidum constat Æschili testimonio (5). Mittimus Homerum, Eustatium, Herodianum, Hesiodum, aliosque lampadum usum in delubris asserentes (6). Silentio tamen obte-

(1) *Demostrat. Evang. Propos.* 10. *Cap.* 5. §. 2.

(2) *Sympos.* 7. *Et in Libr. de Oraculorum defectu.*

(3) *Lib.* 15. 19. *pag.* 160., *ubi Casaubonus lucernas Hetruscas ab ipso Athenæo valde commendatas animadvertit.*

(4) *Vid. Samuel. Pitisc. Lexicon.* T. 2., *ubi Pausaniæ ipsius verba refert.*

(5) *Vers.* 104.

(6) Consule Bulengerum *lib. II. de Donariis Pontific. cap.* XI. T. I. *pag.* 5. *& seqq.*

ubi

obtegenda non est Aristophanis auctoritas, qui inter cetera memoriæ tradidit ἐν ἀγοραῖς τῦις θεοῖς δαὶς καὶ ἐπὶ ἐστιγμένη idest *in foro uritur lucerna ornata* κοσμιμενη ut vertit vetus scholiastes (7). Quid plura? Pollux hæc scripto reliquit = *Placuere, ut lychni pensiles in Delubris, & ut arborum modo mala ferentium lucentes, qualis est in Templo Apollinis Palatini, quem Alexander M. in Thebarum expugnatione captum in Cynne dedicaverat eidem Deo* (8). Tandem notissimus est *lychnuchus* in Tarentinorum Prytaneo a Dionysio juniore collocatus, quem quidem describit idem Athenæus mirabilis sane magnitudinis (9). Quare Theocritus proverbii loco dicere solitus = *Lychnus in Prytaneo* = ; in illo enim tot ardebant lucernæ, quot anni dies. Nunc vero ad Latii Scriptores nostra vertatur oratio; prius tamen id observare fas est *Fani*, ac *Delubri* nomina, quibus sacræ Ædes condonabantur, primum a Φανω graja voce *splendidus*, sive *lucens* descendere, unde Phaeton sol vocatus est, alterum vero a δαλω, antiquato apud Græcos vocabulo derivare, quo lucerna denotabatur. Sicuti autem a *candela candelabrum*, ita a *dalis delubrum*, quod in eo reponerentur; *dali* vero penes ipsos Latinos, erant antiquitus candelæ, sive praxilli ardentes, qui lucernæ vicem ante olei usum obtinebant, ut auctor est Papias apud Onomasticon Laurentianum, conversa inde *a* in *e*, quod in Dialecto jonico frequenter observatur. Hæc de utriusque nominis *Fani*, ac *Delubri* ethymo opinantur quidam Philologici, inter quos non sine laude commemorandus amicus olim noster Johannes Baptista Passerius in suo Lucernarum fictilium Museo (10). Ex quo plane efficitur, Ethnicos sacris in Ædibus lampades accensas retinuisse. Verum ipsa modo veterum Latinorum monumenta pervolutemus. Ergo lampades

B in

ubi horum Scriptorum profert auctoritates Spanhemius vero in rei confirmationem, ipsius Æschili versum 104. recitat in sua Diatriba de *Vesta & Prytonibus num. X.*, statimque hæc subjicit --- *Pensiles quidem Lychnuchi passim in Deorum delubris tradit Plinius, iique, ut aliunde liquere videtur vulgo in Græcorum Prytaneis semper ardentes &c.*

(7) *In Vespes.*

(8) *Lib. 34. cap. 3.*

(9) Nemo nescit Fora seu Curias eodem in honore habita, ac Sacra Templa; ibi enim extabant Deorum simulacra, coram quibus preces, & vota ab introeuntibus fundebantur. Adisis Dissertat. *Julii Minutoli ap. Sallegren T. I. pag. 150., & seqq.*

(10) T. I. §. XIII. *pag.* XVIII.

in Templis usitatas monet Poeta Juvenalis (11), nec non Seneca (12). Plinius præterea lampadum in templis ardentium testis juratissimus est, cujus verba alibi referendi aptior se dabit occasio. Insuper de hoc apud eosdem Ethnicos usu fidem indubiam faciunt ipsimet Ecclesiæ Patres; Hieronymus enim = *Tutelæ*, inquit, *simulacrum cereis venerans*, *& lucernis* (13). Item in suo Apologetico Tertullianus de Idolorum templis verba faciens, hoc ipsum prosequitur (14). Denique de hoc eodem more dubitare non sinit Augustinus, qui generatim de templis, maxime autem de fano Veneris lucernam micasse docet, nullo tempestatum, imbrisque impetu extinguibilem (15). Quin plura congeram; extat *Lex XII. Cod. de Paganorum Sacrificiis*, in qua licet de lampadibus incendendis dumtaxat sacrificii tempore mentio fiat, nullus tamen dubitandi locus hæret, quin cum in templis eadem sacrificia peragerentur, ibidem lampades lucere consuevisse eruatur. Verba legis sic se habent: *Nullus omnino ex quolibet genere, ordine, & cœtu, secretiori piaculo Larem igne, mero Genium, Penates odore veneratus, accendat lumina, imponat thurem, serta suspendat.* Lubet demum sequenti Inscriptione sermonem claudere, quam quidem lamina ænea exculptam primo edidit, & illustravit Cl. P. Raymundus Adamius Ordinis Servorum B. M. V. Alumnus, & Universitatis Pisanæ Professor =

L. GRA-

---

(11) *Satyr.* 12. Jovis, & Larium sacra commemorans sic canit

Cuncta nitent, longos erexit Janua ramos
Et matutinis operitur festa lucernis.

(12) *De Vit. Beata Cap.* 17.

(13) *In Isaiam cap.* 16.

(14) Vide ipsum Apologet. ubi hoc frequenter inculcat, & alibi, præcipue vero *cap.* 47. Insuper *Idol.* 15.

(15) *De Civit. Dei lib.* 21. *cap.* 6. Quale judicium ferendum sit de lucernis inextinguibilibus, quas nostrates *lumi eterni appellant*, percurrenda porro est diatriba Neapoli 1756. edita per M. la Prince de S. Severa, & gallico idiomate conscripta, in quo spectatissimus Auctor multis rationum momentis sententiam negantem mordicus tuetur; nec non sedulo, nervose, & erudite rem totam absolvit. Postremo non abs re erit hic animadvertere, quod usum lampadum apud Indos adhuc perdurare testantur passim Auctores, qui de Sacrificio *Indicto*, cui nomen *Homam* loquuntur. Sonnerat *Tom. I. edit. in* 4. *Fr. Nombertus, & Fr. Johannes de Brito Auctores Libri Asiatich. researches pag.* 401. pariter adfirmant. Insuper viden. Systema Brahmanicum Liturgicum, Mythologicum, Civile, ex Monumentis Judicis Musei Borgiæ Velitris &c. *edit. Rom.* 1791.

L. GRANIVS PVDENS VETER
EX COH. VII. PR. D*VIII. D. P.
UT GENS.EOS* IN USU
RIS. DENT. ET. DI-EN. FESTO
SOLLEMNE OLEUM. IN
LVCERNA. QVEM DEDI
D. P. EX VSVRIS PRAES
TETVR. D. I. M.

(16)

C A P. IV.

De Lampadum pensilium in sacris Ædibus origine.

Quæ hactenus exposita fuere, ea solummodo probant, lampades ab Hebræis primum, dein ab Ethnicis in sacris eorum Ædibus inductas; minime vero disputationem nostram attingunt, quæ lampades pensiles intuetur. Igitur extra controversiam omnem ponendum, Hebræos hac etiam in re ceteris populis præivisse; ad id autem primnm adductos exemplo, & auctoritate Oniæ Summi Pontificis, Omonymi Oniæ filii certissimis id palam fit monumentis. Cum enim vir sane religiosissimus in Ægyptum perrexisset, tantam apud Regem Ptolemæum Philopatorem demeritus est gratiam, ut facultatem ab eo benigne impetraverit Ædem sacram ædificandi ad formam Templi Hierosolymitani, ibi cum gente sua Deum precaturus. In hac igitur nova Æde, locandam inter alia constituit lampadem

(16) Lapis erutus prope Urbem Montis Ilcini in Hetruria. Admirationem movet fœnus nimis magnum impensum comparandi ergo oleum, quo lampas una splenderet.

dem, seu lucernam pensilem Pontifex longe piissimus (1). Quare exemplo hoc edocti iidem Hebræi, solemne in posterum habuerunt, pensiles lampades tum in Templo Hierosolymitano, tum alibi in Synagogis locare, quem quidem morem ad nostram usque ætatem in ipsis eorum Synagogis permanere nemo non videt. Quid ergo? Idem postea mos ad Ethnicorum templa pervasit. Ad rei confirmationem meminisse juvat verba Pollucis nuper allata, qui lampades pensiles in iisdem Templis arsisse apertissime docet. Sed lubet aliorum Scriptorum testimonio rem ipsam comprobare. Cunctis præeat Victor, qui in Regione Urbis decima, cui nomen *Palatium*, Apollinis Ædem describens = *Ubi*, inquit, *lychni pendebant instar arboris mala ferentis*. Sed præ omnibus audiendus Plinius, qui de eadem Apollinis Æde verba faciens = *Ubi*, ait, *lychni pendebant instar arboris mala ferentis* (2). Alibi etiam lampades, seu lucernas pensiles in Deorum delubris passim videri declarant (3). Postremo quid aliud sibi volunt votiva in Templis lucernarum munera, quæ in antiquis Inscriptionibus memorantur (4), nisi ut in Deorum cultum lampades accensæ in iisdem Templis appenderentur? Accedit mos pingendi in ipsis lucernis Deorum effigies, quod quidem argumento est lampades in illorum templis apponi solitas. Atque hæc de lampadum pensilium in Ædibus sacris origine dicta sunto.

CAP.

(1) Consulendus in suis Antiquitatibus Josephus *lib.* 13. *cap.* 6., & *lib.* 19. *cap.* 30. Adisis præterea laudatum Prideaux in sua Hist. *Par. II. lib. XIII. pag.* 302., *ubi de eodem Onia &c.*

(2) *Lib.* 34. *Cap.* 3. Hanc ipsam arborem extitisse memorat in Curia Tarentinorum a Dionysio juniore dedicata, *cui ro. lampades essent, quæ dierum anni numerum æquarent.*

(3) *Ibid.*

(4) Ap. Gruter. *Tom.* 2. *primæ Edit pag.* LXXVII. 3. extat haec Inscriptio.

FORTVNAE . PRIMIGENIAE
SIGNVM . LIBERIS . PATRIS
PANTHEI . CVM . SVIS . PAREGEIS
ET CVPIDINES . II CVM . SVIS LYCHNVCHIS . ET
LVCERNA . LARVM
M. POPILIVS . M. F. TROPHIMVS . CVM
POPILIA . CRE STE . LIB. ET ATILIO . FILIO

CAP. V.

Cur Ethnici adducti ad lampades Numinibus incendendas in eorum Templis: Rationes afferuntur.

Cum Lampadum pensilium usum ab Hebræis ad Ethnicos commigrasse certum omnino sit, præstat modo caussam pervestigare, qua ratione moti ipsi fuerint, ut lampades in delubris collocarent. Sermonem dumtaxat de Ethnicis instituimus; namque de Hebræis manifeste patet, Deum ipsum inter præcipiendum, ut lucerna coram Tabernaculo accensa statueretur, caussam adjecisse hisce verbis: = *Perpetuus erit cultus per successiones eorum filiis Israel* (1). Ergo nullus ambigendi locus est, ex ipsa mentis perceptione persuasum hominibus, ut metaphysicæ artis docent Antecessores, Deum esse substantiam æternam longe purissimam. Quid igitur? Cum ignis creatas res omnes subtilitate sua præcellat, unde Philosophorum effatum prodiit, ignem elementis omnibus esse puriorem, hinc visum est accensis lampadibus Dei naturam, majestatemque repræsentari; perinde ac si Deus ipse in illis quodammodo eluceret. Agedum hac ratione ducti videntur Ethnici, ut lampades, sive lucernas ardentes in sacris eorum Ædibus appenderent. Id potissimum in causa fuisse adfirmat Josephus Laurentius patria Lucensis, vir acri ingenio præditus, & pereruditus; unde in hunc modum eloquitur = *Quum æternitatis ignis imaginem præferat, æterno Deo in lampadibus semper ardebat Templorum, vel quia omnium elementorum purissimus ignis Dei puritatem venerabatur. Hac de causa Prisci Superis tantum Diis, non Inferis lucernas accendebant* (2). Sed vapulat Auctor noster a Samuele Pitisco, qui Diis etiam Manibus

(1) *Exod.* 27. 21. Idem autem præceptum habetur de igne. *Levit.* 6. 5., & 12. 13. --- *Ignis autem in Altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies ..... Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in Altari.*

(2) Polimathiæ *lib.* 2. *Dissert.* XXXII.

nibus dicatum fuisse ignem mordicus contendit (3). Ut ut sit, præstat ultimo loco verba referre Porfyrii, qui ad rem nostram hæc habet = *θεοῖς γὰρ χατὸ πῦρ ἀθανατον φύλαττουσιν ἐν τοῖς ιεροις ὁ μαχιςα αυτοῖς ου ομιωτατον* (4). Ergo quæ hactenus dicta sunt, satis evincunt, Ethnicos, caussa ab igne desumpta, ut pium, ac religiosum cultum Numinibus porrigerent, lampades accensas in Fanis, ac Delubris suspendisse (5).

CAP. VI.

De ritu apud nonnullos olim populos invecto, Lampades, sive lucernas in domorum vestibulis, ac fenestris lætitiæ caussa incendendi, quas quidem pensiles fuisse comprobatur, nec non eas gestandi coram viris dignitate, vel alio excellentiæ titulo præfulgentibus; demum de Lampadariis oratio concluditur.

Quæ nunc expendenda aggredimur, sunt sane eorum, quæ superius diximus, veluti additamentum, ac mantissa. Principio haud dubium, apud veteres morem obtinuisse publicæ, ac privatæ etiam lætitiæ caussa lampades, seu lucernas in vestibulis, ac fenestris domorum collucentes appendere. De Græcis id aperte testatur Æschylus (1), quemadmodum de Romanis fidem facit Arrianus (2), cui addendus Juvenalis (3). & ut alios taceam, apposite hac de re sic scribit Tertullianus: *elatissimis, & clarissimis lucernis vestibula obnubilabant* (4). Quod autem hujusmodi lucernæ pensiles fuerint, eruitur præsertim ex imagine inter Herculanenses Antiquitates reperta, cujus ectypon non pigebit suo loco ad calcem operis afferre in gratiam eorum, qui

(3) *Vid. cit. Lexic.*

(4) Porfyr. *περὶ ἀπωχῆς lib.* 2. §. 5. 36.

(5) Ethnicos, sive Gentiles ab Hebræis omnem fere modum colendi Deos sumpsisse, large, & nervose demonstratur Dissertatione inter Antiquitates Græcas Granovii, cujus titulus, sive Epigraphe est hujuscemodi — *Danielis Clasenii Theologia Gentilium, seu Demonstratio, qua probatur Gentilium Theologia (ceu tenebras) Deos, sacrificia, & alia ex fonte Scripturæ (ceu luce) originem traxisse* —

(1) *Agamem. v.* 92.

(2) *Epict.* 1. 19.

(3) *Sat.* XII. 92.

(4) *Apolog. cap.* 33.

qui naviter sunt in antiquitate versati. Visitur in ea lampas ad modum coronæ pluribus elychniis instructa, quam sustinet alatus puer funi e fornice descendenti alligatus (Fig. I.) (5). Verum de hoc hactenus; ad alia sermo progrediatur. Igitur hac mira voluptate captos novimus quosdam olim populos, ut nedum Diis, sed viris quoque generis splendore, vel sublimi dignitate præditis lucernas incenderent = *Lampades*, inquit Lipsius in suis ad Tacitum Excursibus, *Principatus insignia olim præferebant eo quidem tempore, quo sacrilega hominum assentatio Augustos, ut Numina, honoribus prosequebatur* (6). Eadem Rosoveidus in Vitis Patrum adnotata reliquit = *Ut in Deorum cultu lucernæ, & faces, eædem* inquit, *in Imperatorum veneratione adhibitæ* (7). Et sane narrat Herodianus de Commodo, & Antonino Imperatoribus, ante illorum imagines lampades aduri solitas. Præterea in ipsius Commodi vita scribit hunc honorem denegatum Marciæ ejusdem Imperatoris Concubinæ. De Pertinace vero monet, haud passum fuisse hæc Principatus insignia sibi præferri. Mitto, quod, teste Svetonio, Julius Cæsar Romæ triumphum agens, quatuor elephantibus lychnos gerentibus, in Capitolium advectus est (8). Denique hunc ritum in Oriente sub Imperatoribus etiam Christianis obtinuisse adfirmat Bizantinarum rerum Scriptor solertissimus Joannes Cuolinus (9). Quid plura? Hanc ipsam honoris, cultusque testificationem ab Imperatoribus ad viros manasse Ecclesiastica dignitate conspicuos ex veteri libro Pontificali discimus; etenim in vita Adriani PP. II. hisce verbis modus describitur, quo ex-

(5) Præstat referre iisdem verbis, quæ eo loci subnectit egregius Explanator: Per „ quel che riguarda la figurina alata so„ prapposta alla lucerna, può dirsi esser „ simile a quella figura mentovata da Ome„ ro *Od.* 2. *v.* 100., che tenevano le lam„ padi nella Regia di Alcinoo, e rammen„ tata anche da Lucrezio II. 24. — *Si non aurea sunt juvenum simulacra per ædes Lampades igniferas manibus retinentia dextris* “ Seppur non voglia dirsi, che sia „ una Vittoria, o un Cupido, come pres„ so il Liceto VI. 46. e 47. Si vede Bacco „ Falloforo, Pallade Vincitrice, e simili „ Deità nel coverchio della Lucerna. Vedi *le Pitture antiche di Ercolano &c. Tom.* IV. *Tavol.* LVI. *pag.* 277.

(6) *Excurs. ad Tacit. lib.* 1. *Annal.*

(7) *Tom.* VII. *pag.* 1.

(8) *Lib.* 2. *Cap.* 38.

(9) *De Offic. cap.* 6. *pag.* 9. *n.* 4. Et *cap.* 7. *n.* 24. Idipsum quoque innuit Balsamon *de Privileg. Patriarchar. pag.* 445.

excepti C. Poli fuerunt ejus Pontificis Legati = *Hi a Paullo librorum Custode, Joseph Vasorum Custode, simulque Basilio Sacellario Ecclesiasticis indutis vestibus salutati..... a Patriarcha C. Poleos sollemniter praeceduntur & ab omni populo cum cereis, & lampadibus prosequuntur* (10). Cum vero lampadum copia illorum, quibus talis culturæ, & honoris significatio exhibebatur, plusquam par esset, dignitatem irradiaret, Legum dispositione cautum ut supremis Magistratibus quatuor tantum lampades incenderentur. Hinc Ordo lampadariorum emersit, quorum quidem mentio apud Scriptores Historiæ præsertim Augustæ admodum frequens occurrit. Quidquid sit de hujus præstantia Officii, quod quidem inter dignitates *illustres* recenset Cl. Cangius (11) porro e Notitia Imperii liquet, *Lampadarios Prætoris Præfecto, & Magistris Officiorum* destinatos; quod etiam definitum legimus ab Juliano Antecessore sua constitutione (12). Nihilo tamen secius, hunc ipsum honorem de Magistratibus majoribus æque ac minoribus, Imperatorum indulgentia concessum, *Quæstoribus* nempe, & *Insularum Præfectis*, nos plene condocefaciunt ipsius Juliani, ac Leonis Impp. constitutiones (13). Denique in suo codice de diversis *Officiis* adnotavit Zenobius, *Pontici Tractus Vicario* permissum, ut præcone, & quatuor *Lampadariis* uteretur (14). Ex quibus sane rebus compertum fit, exploratumque, *Lampadarios* ordine quidem inter se distinctos, muneris obligatione operam navasse, ut Imperatoribus, Magistratibus, aliisque insignibus Viris publicis in apparitionibus præcederent. Quare allucinati videntur Brisonius, & Pancirolius, qui *Lampada-*

(10) Vid. *Libr. Pontif. Vit. Adriani PP. II.*

(11) Glossar ad verbum Lampadarii &c.

(12) Vide laudat. Cangium ad idem verb. *lampadarii.*

(13) *Constit.* XXVII.

(14) Vid. eund. Cang. loc. cit. Quod hic adnotavit Zenobius, idipsum mandaverat Justinianus *Edict.* 8. §. 4. Insuper Valentinianus *Nov.* 34. mentionem facit *Lampadariorum.* Hæc autem Novella inscripta legitur *Opilioni Magistro Officiorum.* Denique silentio prætereunda non est vetus Inscriptio ap. Sponium *T.* 3. *Itiner. P.* 2. *p.* 18., in qua iidem Lampadarii appellantur δαδοῦχοι Consulendus Meursius Panath. *cap.* 8. ubi de Lampadophoris adhibitis festis Minervæ diebus. Item Apulejus *Mat.* XI., disserens de supplicationibus Isaicis, *magnus*, inquit, *præterea sexus utriusque numerus lucernis, tædis, cereis, & alio genere facti luminis syderum cælestium stipem propitiantes.* Videsis quoque Lactantium *lib.* 2.

padariorum officium in eo statuunt, ut lampadum Palatii curam dumtaxat agerent, & in id præcipue incumberent, ut nimis ipsæ niterent, tametsi ex illis electi quidam fuerint, qui Vicario Ponticæ, aliisque in Edictorum promulgatione faces præferrent. Ceterum illud super omnia firmum maneat, & immotum, hunc quoque morem ab Hebræis ad Ethnicos derivasse. Observatum namque paulo supra, ubi de ipsarum lampadum origine disputabatur, Holoferni in Hebræos irruenti, & mala quæque in eos minitanti, *obviam ivisse universarum Urbium habitatores, & Principes cum coronis, & lampadibus &c.* (16). Id ipsum factum Alexandro Darii regis Præfecto ærarii narrat Curtius lib. 5. Denique Lampadariis accensendi sunt Lampadophori, quorum mentio occurrit apud Lexicographos, aliosque Scriptores; ipsi enim orgia, aliosque sollemniores dies lampades accensas manibus gestantes concelebrabant. Eædem præfatæ Antiquitates Herculanenses exhibent opus tectorium, in quo plures conspiciuntur Viri prælonga veste, & usque ad talum demissa, per modum supplicationis lampadibus accensis incedentes.

C A P. VII.

Lampadum pensilium usus ad Christianos ipso Ecclesiæ primordio derivatus ostenditur.

Nemo sacrarum Antiquitatum ignorat, multa ab Idolorum cultoribus fieri solita, saniori postea consilio, rectaque mente ad rem Christianam traducta fuisse, unde præclare dictum ab Augustino = *Etsi usus quarumdam rerum similis videatur nobis esse cum Gentibus..... longe tamen aliter his rebus utitur, quo ad alium finem usum earum refert* (1). Quod sane argumentum magna vi urget Hieronymus adversus

C Vi-

(16) *Judith. cap. 3. v. 10.*

(1) *Contra Faust. lib. 19. cap. 27.*

Vigilantium; cum enim ostenderit, multa ab Ethnicorum superstitione in Christianam Religionem laudabiliter transmissa; *ecquis*, inquit *jure calumniatur, si quæ olim Idolis, eadem modo Martyribus offerantur?* (2). His ergo exemplis veteres Christiani nil gratius, & antiquius habuerunt, quam locare, & incendere lampades in sacris Ædibus, rati, se hac observantiæ, & honoris significatione debere Deum percolere. Sed, quæso, cur ab Ethnicis hunc ritum Christianos hausisse dixeris, cum revera ipsum ab Hebræis ad Christianos commigrasse, ratio evidens suadeat? (3). Quid? Christi cultores Deum verum, & unum, ut Hebræi, venerantur, in cujus honorem iidem lampades, ipso Deo sic volente, tum in Templo Hierosolymitano, tum in Synagogis ponere consueverunt (4). Huc accedit, ipsos Christianos ab initio Hebræorum Synagogas frequentasse, ibique lampades ardentes conspexisse, quibus religiosus Deo cultus porrigeretur (5). His ergo positis, & constitutis, luce meridiana videtur clarius, ritum hunc ab Hebræis ad Christianos dimanasse. Sed quid ultra moror? Apostoli quidem a Spiritu Sancto edocti satis cum nossent, Deum ipsum

(2) *Hieronym. contr. Vigilant.*

(3) Non me latet Scriptores hac de re transversos agi; quidam enim Christianos ab Judæis ritum hunc accepisse arbitrantur: alii vero ab Ethnicis in Christianos defluxisse putant. Primæ sententiæ, quæ mihi magis arridet, subscribit Baronius ad an. 58. *cum enim*, inquit, *Judæi hæc ipsa lumina accenderent, atque id etiam Gentiles factitarent, cur non potius ab Judæis, ut plura alia, quam a Gentilibus Ecclesiam mutuatam fuisse dixerimus.* Præiverant Ecclesiasticorum Annalium Parenti Centuriatores Magdeburgenses *pag.* 209. --- *Verum hi* (loquuntur de Templorum cereis) *ex Judæis morem, caussamque subjiciunt, nimirum odio, quo prisca Ecclesia Gentiles persequebatur, ne quidquam de illorum moribus sumerent &c.* Contrarium vero opinantur alii, quibus eminet Auctor *Introduct. ad Histor. Eccles. pag.* 176. *&* 186., nec non Petavius *animadvers ad Heres*: 65. qui mordicus contendunt lampadum usum ab Ethnicis, seu Gentilibus in Christianos pervasisse. Verum facile sibi invicem junguntur, dissidentesque concordantur opiniones, si statuas, quod consuetudinem apud Hebræos primitus induxerunt Ethnici arripuerunt, eamque secuti sunt postea Christiani.

(4) Consul. cit. Exodi cap. 27. v. 21.

(5) Pervolutanti Actus Apostolicos crebra occurrunt loca, quibus eruitur Christianos Synagogas adiisse, ubi Apostoli sæpe sæpius conciones habebant, ac Dei verba interpretabantur. Ut ut sit, argumentari licet, eosdem Christianos hunc morem ab Judæis hausisse, argumentari, inquam, licet ex Canonum, quos Apostolicos appellant, septuagesimo, quo segregari jubetur quicunque Christianus, qui oleum ferret in Judæorum Synagogas in eorum festis, vel lucernam accenderet; nam per Sabbata, & cetera Judæorum festa, ut ait Persius,

Dispositæ pinguem nebulam vomuere
lucernæ.

ipsum apertis verbis hunc ritum Hebræis indixisse, eosdemque in Templo Hierosolymitano, ac Synagogis attento studio adamussim semper custodivisse, sapientissime illum amplexati sunt, rati, Deum in nova quoque Lege eodem ritu sese oblectaturum. Re autem vera ad hanc nos persuasionem pertrahunt verba, quæ in Actis Apostolicis obviam fiunt = *Una sabbati* (en ipsorum verborum tenor) *cum convenissemus ad frangendum panem, Paullus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque ad mediam noctem. Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo* = (6). Primum quidem dubitari nequit eos, qui illuc convenerant, Christianæ Religioni nomen dedisse; dicitur enim, quod panis erat *frangendus*, sacra nempe Synaxis concelebranda, nec non omnes quotquot aderant, cælesti cibo reficiendi; secundo *cœnaculum*, quo ipsa hominum multitudo sese collegerat, peramplam aulam fuisse in domus fastigio sitam; id enim adfirmant sacrorum Bibliorum Interpretes egregii (7). Constat denique, idem *cœnaculum* ab Synagoga fuisse omnino diversum (8), tametsi *Proseuchæ* locum teneret (9). Quæ cum ita sint, id ipse nunc insequor, atque urgeo; lampades quidem *copiosas* arsisse Scriptor divinus testatur (10).

Atqui

(6) *Act. Apostol. cap.* 20. *v.* 7. *& seqq.*

(7) Vid. *Synops. Criticor. Math. Poli cap.* 1. *v.* 13. *Tom. V. pag.* 13. 21.

(8) Cœnaculum quidem erat pars domus superior, ad quam per scalas ascendebatur. Præstat audire Festum, qui ad hunc modum eloquitur --- *Cœnacula dicuntur, ad quæ scalis ascenditur* --- . . Igitur quot scalæ, tot erant una in domo cœnacula; unde Martialis lib. 118. --- *Et scalis habito tribus, sed altis &c.* Interdum vero cœnacula Inquilinis tenuioris fortunæ locabantur; quare *Cœnaculariam facere* de iis dicebatur, qui ea re quæstum faciebant pluris locando, quæ minoris conduxerant. Equidem de his Cœnaculorum Inquilinis loquitur Paulus *L. nam salutem* §. *ult. de Offic. Præf. Vigil.* --- *Præterea & aquam unusquisque Inquilinus in Cœnaculo suo habeat.* Postremo ad hujus vocis etymon advertisse juvat cum Cl. Mezochio, *Cœnaculum* sine diphtongo in literatis saxis, & melioribus libris plerumque reperiri. Videsis ejus Commentar. *ad Kalend. Marmor. T. I. pag.* 101.

(9) In eam temere opinionem abeunt plerique docti viri, *Cœnaculum* fuisse locum in *Proseucha* editiorem, ubi Proseucha ipsa constituebatur. Nardinius Romæ *cœnaculum* ostendit in S. Maria in via lata, ubi Ss. Petrus, & Paulus, simul cum Luca constiterint. Ergo Cœnaculum, quo Troade multitudo convenit, ut Paulum Apostolum audiret, locum domus editiorem fuisse, ibique Proseucham constructam ex dictis satis superque constat.

(10) Idem Mezochius *Spicileg. Biblic. T. III. pag.* 270. hunc textum explanans recitat Persii verba *sub Satyræ V. finem.*

. . . .

in quem locum vetus Scholiastes hæc habet; *Herodiani observant Sabbata, quo die lucernas accensas, & violis coronatas in fenestris ponunt.* At non in omnibus passim

Atqui tam ingens lampadum copia, non ad alium finem adhibitus fuit, nisi culturæ, & honoris in Deum causa (11); Et vero quid opus eidem Historico erat, ut assereret lampades ibi *valde frequentes*, *&* *spissas* effulsisse, nisi ut per eas cultus Deo porrecti testificatio deprehenderetur. Ne autem factum per eas dixeris ob adultam, profundamque noctem, & insuper ob ipsius cœnaculi amplitudinem, ut nempe ingenti numero lampades mirifice coruscarent; nam eadem recurrit argumenti vis; divino enim Scriptori minime expediebat, ut narrationem suam absolvens, id notandum urgeret: *erant autem lampades copiosæ in Cœnaculo.* Denique cuinam incompertum, Hebræos diebus solemnioribus Synagogas omni ornatu circumvestire solitos, maxime vero lampadum apparatione, ut hac pietatis significatione numen, majestatemque Dei revererentur? Quid ni ergo existimandum, hac ipsa de caussa instructum cenaculum illud tam ingenti lampadum copia? Vidit hæc profecto Clar. Baronius, qui nobis in hæc verba præluxit = *Quamtumlibet ad noctis tenebras expellendas copiosum numerum, quem Lucas refert, fuisse lampadum in cœnaculo collocatum quisque jure dicere posse videatur; tamen exploratissimum est, consuevisse Judæos (ab quorum exemplo excitatos diximus primos Fideles), non tantum ad lumen inducendum, tenebrasque pellendas, sed & lætitiæ causa cum celebritatem aliquam agerent, ut docet etiam Persius versibus illis alia occasione a nobis superius recitatis, cum ait,*

Herodis venere dies, cunctaque fenestræ
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

(12); deinde sermonem suum sic absolvit, *nam non ad lucem*

sim fenestris id observatum fuit, sed cœnaculorum dumtaxat, quo ad precandum ipsi coibant.

(11) Confer Canonem sub Apostolorum nomine LXX.; & inde intelliges sabhato in Proseuchis innumeras Lampades exarsisse, qui quidem mos ab Judæis in Christianorum templa invectus ex ipsis Canonis verbis aperto colligitur. Messaliani quoque, teste Epiphanio *Hæres.* 80. *n.* 2., *in suas Proseuchas* μετὰ πολῦς λιχνᾶψίας καὶ φώτων *conveniebant.*

(12) *Ad ann.* 58. *n.* 70.

rem tantum inducendam, sed ad religionis cultum ample testificandum interdiu vel in sacris adhiberi, vel aliter in honorem Numinis accendi lumina consuetudinis fuisse complura sunt antiquorum exempla (13). Denique in hanc ipsam sententiam concessit Cl. Trombellius nobis, dum vitam viveret, amicitia junctus; is enim hunc ipsum Apostolicorum Actuum locum expendens; *illæ*, inquit, *copiosæ lampades magis ad religionis argumentum, quam ad fugandas tenebras videntur accensæ* (14).

CAP. VIII.

Unde mos apud Christianos promanarit locandi, & incendendi lampades coram Sanctorum Lipsanis, seu Reliquiis, & illorum imaginibus.

Cum Theologicarum disciplinarum Tractatores cultus nomine quandam intelligere videantur confessionem, nec non, ut ipsi ajunt, *protestationem excellentiæ*, quæ non tantum mente, & animo, sed quibusdam etiam externis argumentis exhibetur, hinc palam fit, cur Christiani adducti fuerint, ut lampadum accensarum honore post Deum viros afficerent, qui sempiterna in cœlis fruuntur beatitate: cum enim in terris ipsi degentes morum integritate, vitæque sanctimonia mirifice enituerint, magnamque idcirco excellentiam sibi comparaverint, longe conveniens visum fuit, lampadum adustione illos observare. Re quidem vera, acceptissimum id Deo esse ratio ipsa suadet; Rex quippe gratum habet obsequium, quod servo, & amico suo defertur, seque honorari putat, dum ille honoribus cumulatur. Hinc sapientissime ab Johanne Damasceno dictum, quibus rebus Deus colitur, iisdem quoque Servos ipsius oblectari (1). Mittimus alia rationum momenta a Scriptoribus de Cultu Sanctorum congesta; non enim bellum est no-

(13) *Ibidem.*

(14) *De Cultu SS. T. II. P. I. Desert. VIII. cap. XXXI. pag. 398. VI.*

(1) *Lib. de Fide Orthodox. cap. 16. pag. 15. Edit. Le Quien.*

nobis agendum cum Heterodoxis, qui ut omnia nostra in suis libris vellicant, & maledico dente carpunt, sic in Sanctorum cultum sæve debacchantur. Ex his igitur satis manifeste patet mos apud Christianos inductus, lampades locandi, & incendendi ante Exuvias, & Imagines illorum, quos cœlo illatos Ecclesia credit, & docet.

C A P. IX.

Pensiles lampades a Christianis in sacris Ædibus locari solitas, priorum seculorum monumentis ostenditur, & comprobatur.

Quæ supra exposuimus, satis evincunt, ab instituta Christiana Republica morem locandi lampades pensiles in sacris Ædibus esse repetendum. Locus ex Apostolorum Actis superius allatus de cœnaculo, ubi Paullus concione expleta rei divinæ erat operaturus; id planum facit luculentissime; cum enim multitudo hominum sic ingens illuc convenerit, ut adolescens somno correptus, e fenestra, cui insidebat, decidens, & in terram delapsus, spiritum efflaverit, hinc inferendum omnino, lampades illas copiosas, quarum fumus somnum ei parere debuit, ab ipsius Cœnaculi laqueari hac illac dispositas pependisse. Utcumque tamen res fuerit, instituti nostri ratio postulat, ut nonnulla hac de re antiquitatis monumenta discutiamus. Igitur Antonius M. Lupius e Societate Jesu magnam sui nominis celebritatem jure assequutus, in sua, quam de Epitaphio S. Severæ edidit, Diatriba, iconem exhibet, seu figuram Sepulchri Virginis, & Martyris Constantiæ, cujus exuvias quiescere scribit in Cœmeterio Basillæ. Ibi vir solertissimus lampadem contemplatus = *Lampas illa*, inquit, *testacea, ac fictilis laterna est sepulchro affixa, ad illuminandum (ut credo) viam cœmeterialem fuit apposita; omnino namque necessaria erant lumina in tenebrosis, atque implexis Cryptis, in quibus teste S. Hieronymo, horret ubique animus, simul ipsa silentia terrent.* Verum (subdit deinde) tam magna in cæmeteriis fictilium hujusmodi lampadum copia

est,

est, ut non ob necessitatem tantum, sed etiam ad ornatum, & ad pompam quodammodo posita ibi censeri possint (1). Malum, quod viro longe doctissimo in mentem non venerit caussa, quam profert idem maximus Ecclesiæ doctor contra Vigilantium; ait enim, Martyribus ideo lumina, lampadesque accendi ad significandum eos lumine fidei decessisse, & modo in supernæ lumine gloriæ splendere (2). Verum enim vero nemo ire potest inficias, exempla, tum lampadis a Lupio memoratæ, tum id genus aliarum in cœmeteriis existentium, nihil ad rem nostram facere, cum eas parietibus affixas fuisse constet. Itaque aptiora sunt pervestiganda monumenta, quæ nostro suffragentur instituto. Age jam Musei Vaticani tabulam eburneam in suo veterum Dyptichorum Thesauro contuendam exhibet Cl. Gorius (3). Quod illius spectat ætatem, idem præclarissimus Auctor *venerabilem* vocat, & inde infert usum lampadum pensilium in Christianorum templis a primo ævo obtinere. Ibi effigiata conspicitur beatissimi Prothomartyris historia in plures laterculos distributa (Fig. II.) Jamvero postremus sinistræ lineæ laterculus sacri corporis elevationem, postquam divinitus inventum fuit una cum exuviis Ss. Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis ingenti pompa magnaque populi frequentia concelebratam repræsentat, atque in loco edito, & conspicuo spectatur lampas per catenulas laqueari suspensa (4). Huic quantivis pretii monumento perlubet alia duo adnectere, quæ in eodem Opere recensentur, & inter monumenta sacra eburnea pariter numerantur, Tabula igitur, quæ ambo comprehendit, in superiori spatio Christi nativitatem proponit. Ex alto duæ lampades dependent. Inter cetera mirari subiit stella superne fulgens, & arbor inter præsepis ambitum virens, quod sane symbolum ad prophetiam pertinet; *Germinavit radix ex jesse*, quemadmodum stella ip-

sa,

(1) *Pag.* 115. *not.* 2.
(2) *S. Hieronym. contra Vigilant.*
(3) *Tom. III. Tab. XXXVI. pag.* 278.
(4) *Ibidem de monumentis sacris eburn. Tab. VII.*

sa, nisi dixeris per anacronysmum ad adventum Magorum spectare, ad prophetiam illam attinet. *Orta est stella ex Jacob.* In inferiori autem spatio figuratur Magorum adoratio, ibique pensiles tres lampades ejusdem formæ visuntur tribus catenulis singulæ alligatæ (Fig. III. & IV.) (5). Hujusmodi monumenta expendens suo peracuto ingenio Johannes Baptista Passerius existimat, ex illis emergi longævam pensilium in Christianorum Ecclesiis lampadum consuetudinem (6). Sed eundum modo ad veterum Christianorum cryptas, seu Cœmeteria. Franciscus ergo Boldettus, qui laudatissimam operam locavit sacrorum Romæ Cœmeteriorum monumentis quibusvis inspiciendis, eisque accurato examine librandis, hæc de pensilibus lampadibus scripto reliquit " *Il presente discorso mi obbliga quì ad accennar* ,, *solamente la maniera, colla quale erano ivi disposti i detti lumi. Nel celebre Cimiterio di Callisto, di Pretestato, e d' altri* ,, *appunto ho attentamente osservato esser tuttavia conficcati in mezzo alle volte delle piccole Chiese, o Cappelle delle dette Catacombe degli uncini di ferro, dai quali pendevano copiose le lucerne con sottili catene di metallo, in quella guisa medesima, che nella Basilica di S. Felice le descrive S. Paolino* ,, (7). Hæc Scriptor

(5) *Ibid. Tab. X.*

(6) Exposition. in Monum. sacr. eburn. cit. Tom. III. pag. 16. & 31.

Hic recensere coacti sumus monumentum plumbeum sane perantiquum celebris Musei Victorii, quod quidem memoria excideret, & ejus ectypon ære incisum cum ceteris suo loco exhibemus (Fig. XVII.) In ejus parte antica visitur μακάριστιτος Christi martyr jacens super arca supinus quibusdam arcubus ædem præsignantibus. Pone caput spectatur nimbus, & vas sanguinis circa pedes. Eadem arca tribus majoribus anulis in anteriori facie ornatur ac duobus item encarpis, quorum extremitates ab annulo medio dependentes, reliquis annulis religantur. Pendet ab arcu triumphali ipsius ædibus super corpus Martyris lampas, & sub arca facies Cherubim alata conspicitur, quasi illam regat expansis alis. Legitur circum in peripheria ✝ BEATVS . . . . YR., martyris nomine omnino deperdito, ab ævi diuturnitate obeso plumbeo in illo circumferentiæ loco superiori. In parte vero postica Spiritus, ut reor, defuncti Martyris in Angelica figura exprimitur, tanquam puer alatus diademate redimitus, & stantis habitu super pulvinari, quod genu altero sustinent duo viri, genu altero flexo. Brachia expansa tenet, eademque honoris ac majestatis caussa fulciuntur ab aliis duobus viris stantibus ac barbatis expillatisque, longa tunica indutis, ad latus religata, quorum alter ad dextrum latus habet marsupium. In gyro legitur SAMVEL TOBIAS . ANSE . Reliqua prorsus consumpta sunt. Primus hoc sacræ Antiquitatis κειμηλίαν edidit auctor diatribes de *Historia Sanctorum septem Dormientium.*

(7) Osservaz. lib. 1. cap. XI. pag. 43.

ptor egregius, qui paulo post sermonem suum sic persequitur " *Una di queste appunto colla sua catena trovai nel Cimi-*
„ terio di Priscilla, ed alcune altre simili si veggono nella Roma
„ sotterranea del Bosio, e dell' Arringhio già estratte da' medesimi
„ sacri luoghi (9) „. Profecto quæ hic a Boldetto enarrantur, mirifice confirmant superius a nobis notata in Tabulis Thesauri Goriani, propertereaque certam, & indubiam fidem ita faciunt de lampadum pensilium apud veteres Christianos in sacris Ædibus usu, ut nil ultra desiderare queas. Sed ab anaglyphis ad picturas nostra modo traducatur oratio. Igitur Romæ in vetustissimo Templo Pontifici, & Martyri Clementi sacro, plures obviam se dant picturæ ejusdem Templi laqueare prospectanti. Jam vero in una duæ cernuntur lampades e fornice veluti pendentes. Alibi de eadem pictura sermo fiet, ubi graphidem ipsam oculis subjiciemus. Ad hæc tradunt Romanorum Antiquitatum Scriptores, in Ecclesia S. Sylvestri e regione Campi Martii, antequam XVI. decurrente sæculo a Francisco Cardinali Dectrstain Episcopo Olmacensi instaurarentur, lampades pensiles spectatas fuisse (10). Insuper de lampadibus penicillo expressis olim Romæ in fronte Ecclesiæ S. Callisti fidem faciunt Scriptores. Quid plura? Disserens in suis veteribus monumentis Ciampinius de Templo Ravennate S. Apollinaris picturam oppido antiquam commemorat, lampades pensiles referentem (11). Denique huc faciunt veteres ipsarum lampadum figuræ, quas minio pictas e Menologio Basilii in Bibliotheca Vaticana adservato laudat in suis observationibus Cl. Bonarrotius (12). Sed præstat orationem concludere verbis Aringhii, cujus omnigenis sacrorum Cœmeteriorum monumentis colligendis diligentia fuit accuratissima, adeo ut inter harum rerum Scriptores principem locum teneat, & jure habeatur promus condus. Is igitur

D de

(9) *Ibid.*

(10) Id habetur ex Schedis, & Adversariis ineditis, Josephi Mariæ Suaresii, viri quidem omnifaria doctrina, ingenioque præstantissimi.

(11) *De veteribus Monum. P. II. cap. XII pag. 89.*

(12) *Osservaz. sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro pag. 26.*

de lampadibus, ac lucernis ibidem repertis, quarum quidem multiplicis generis schemata ad calcem Operis exhibet, de illarum usu, Baronii sententiam secutus, ita præclare eloquitur = *Porro cum in sacris Cœmeteriis aereæ permultæ lucernæ adinventæ sint, quæ Christianorum extitere, hic ad rem propositam nobis ex eodem Baronio repetendæ videntur, quæ de iisdem lucernis, ac lampadibus Ecclesiæ usui destinatis prosequitur &c.* = Ejus verbis postea recitatis, haud ambigendum fore clamat, lampadum usum apud cujusvis Religionis nationes locis sacris frequentem admodum fuisse, nec non observantiæ, cultusque argumentum ostentasse (13). Sed hæc satis, superque. Cetera persequamur.

CAP. X.

Lampadum pensilium usus in Ecclesiis quarto sæculo firmatus, & constabilitus.

Quæ de lampadibus pensilibus capite superiori disputavimus, certissimam imbibunt persuasionem, eas in sacris Ædibus ab ipso Christianæ Religionis exordio, volventibus deinde annis, & sæculis, locari, & incendi consuevisse. Neque hic reprehensionis notam incurrisse arbitror, quod e primæva antiquitate coævis monumentis, silentio præteriverim Canonem V. Apostolorum, in quo *luminaria* memorantur; etenim vix unum reperire est vel mediocriter eruditum, cui incompertum, Canones, qui sub Apostolorum nomine circumferuntur, inferioris ævi fœtum esse, illosque ex variis Scriptorum sententiis consarcinatos (1). Utut sit, ambigi omnino nequit, usum apud Christia-

(13) *Rom. Subterr. lib. 1. cap. 18. pag. 587. n. 2.* Verumtamen dicendum, lampadum nomine Auctorem nostrum accepisse lucernas pensiles, & portatu accomodas, quarum plura exemplaria profert; & idem factum quoque videmus a Bosio.

(1) Verba Canonis hæc sunt, Dionysio Exiguo Interprete — *Offerre non licet aliquid ad altare præter novas spicas, & uvas, & oleum ad luminaria, & thymiama, idest incensum tempore, quo sancta celebratur oblatio* — Rationum momenta, quibus ablegantur Apostolis hi Canones, afferre non vacat, cum omnibus Historiæ Eccle-

stianos lampadum pensilium, dum persecutorum furor adversus eos deflagrabat, inductum, placidissima dein pace Ecclesiæ restituta, fuisse multo magis firmatum, & constabilitum. Quo meam orationem altius repetam, vix Constantinus vere magnus, ejurato Idolorum cultu, Christianæ Religioni nomen dedit, illico sacris Ecclesiæ Ministris palam munera obeundi concessa potestas, nec non Fidelibus, deposita omni formidine, publice templa patuerunt (2). Jam vero præclara inter pietatis argumenta, enituit maxime in eadem Templa pientissimi Imperatori liberalitas, & munificentia. Adeundus hac de re Anastasius Bibliothecarius, qui donaria, quibus Ecclesias ipsas locuspletavit, magnifice deprædicat (3). Præcipue lampades prægrandes recenset, & ingentis quidem pretii, quas ut Deo uni, & vero observantiam suam testaretur, Ecclesiis religiose obtulit. Hæc summatim attigisse sufficiat; alibi enim de his latior habebitur disputatio. Age dum ergo alia promantur modo non inferioris notæ monumenta. Itaque Ecclesiasticæ Historiæ Auctor, & prothoparens Eusebius verba faciens de Narcisso Hierosolymorum Antistite, narrat inter cetera Sabatho sancto, cum populus in Ecclesia vigilias frequentaret, lampades oleo destitutas micare desiisse; qua de re vir sanctissimus fusis enixe Deo precibus, lampades ipsas aqua opplevit. Mirum! Eadem statim aqua in oleum conversa, lampades lucere ut antea cœpe-

Ecclesiasticæ studiosis sint longe notissima. Præterea, de trium priorum sæculorum Patribus me siluisse nemo miretur, cum lampadum in Ecclesiis pendentium mentionem faciendi occasio nunquam eis oblata fuerit. Fortasse aliquid innuere videtur Tertullianus hisce verbis --- (*lib. de jejuniis*) *Post aquam manualem, & lumina unusquisque de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio ut potest, provocatur in medium canere* --- Verum de Fidelium conventu, qui noctu in cœmeteriis fiebat, dicendus est loqui Afer noster, non vero de luminibus ope lampadum micantibus. Dixerim potius huc spectasse Hymni Auctorem, quem Antigeni (Anthenogenis forte) S. Martyri Clementi æqualis fœtum esse nonnulli putant, in quo quidem Hymno *Lychnuchi* enunciantur. *Vid. Cangium Append. ad Glossarium Græcum pag. 129. voce Lychnitas.*

(2) Cave ne inde inferas, ante id temporis, nulla penes Christianos extructa Templa: nam persecutionibus aliquando intermissis haud dubium, ea cum adnexis quibusdam ædibus exædificari cœpta fuisse; quod sane quidem contigisse ann. 230. præter propter autumant Tillemontius, aliique Eruditi complures. Et plane quadraginta Romæ Basilicas numerat Optatus Milevitanus.

(3) *De Vit. Roman. Pontif., ubi de S. Sylvestro PP. I. nec non Libel. de munific. Constantini.*

cœperunt = *Sanctus Narcissus* (hæc sunt ipsius Historiographi verba) *oratione super aquam facta, jussisse dicitur, sincera in Christum fide, ut eam lucernis infunderet..... quo peracto, aqua in olei pinguedinem conversa est* (4). Ut de Patribus loquamur, ipsi quidem de lampadibus pensilibus splendidissimum proferunt testimonium. Paucorum tantum seligam auctoritates. Sed placet in antecessum proferre illud percelebre, quod inter gesta purgationis Cæciliani legitur ad calcem Optati Milevitani pag. 266. ad 92. In recensione videlicet vasorum aliorumque ornamentorum Ecclesiæ a Paulo Episcopo Cirthensium, qui unus e traditoribus erat, exhibita, numerabantur *calices duo aurei, calices sex argentei, urceoli sex argentei, cucumellum argenteum* (quod lagenam esse existimo) *lucernæ argenteæ septem, cereofala duo &c.* Primus igitur obviam se dat Athanasius, qui in Epistola Encyclica ad Episcopos, ingressum describit Gregorii in Ecclesiam Alexandrinam, quam improborum hominum manu stipatus occupavit; Quare = *tunc vi ablatum*, inquit, *a militibus oleum ad Ecclesiæ luminaria repositum* = proptereaque scelestissimos homines una cum Episcopo insaniæ pœna mulctato misere concidissse (5). Athanasium excipit Crysostomus, qui lampades in Templis collucentes, non semel in suis Homiliis commemorat (6). Præcipuus præ reliquis est locus, in quo de sublevandis pauperibus sermonem habens, sic ad rem nostram loquitur = *Hoc etiam circa Christum reputo, cum errabundus & peregrinus circumit, tecto indigens, tu autem illo in hospitem non admisso, pavimentum exornas, & parietes, columnarumque capitella, & argenteas catenas lampadibus alligas, ipsum vero in carcere ligatum ne videre quidem sustines* =. Notandum, quod Sanctus Doctor totus est, ut Templa, & altaria ornamentis adeo pretiosis haud vestienda ostendat, quo pauperes inde sustentatione careant. Sed nihil ad rem nostram accomodatius edicere poterat Salamynensis Episcopus Epiphanius; sic enim effatur in sua

(4) *Histor. lib. 6. cap. 22.*
(5) *Laudat. Epist.*
(6) *Vid. inter al. Sermon. 4. n. 5. In Math. homil. 50.*

sua Epistola ad Joannem = *Cum venissem in Villam, quæ dicitur Arablatein, vidissemque præteriens ibi lucernam ardentem, interrogassemque, quis locus esset, didicissemque esse Ecclesiam &c.* = Huc etiam facit Damasi locus, ubi de Templo verba faciens ad Ædes Lateranas in Cœlii montis dorso a Constantino Imperatore excitato, ait, Sylvestri Pontificis jussu multas ibi lampades effulgere (7). Verba illius consulto omittimus, cum sint aptiori loco proferenda. Quodammodo dies antea, quam oratio, me deficeret, si monumenta omnia, quibus scripta Patrum fere redundant, anteponere adlaborarem. Perlegantur, quæso, ea quæ literis consignavit Gregorius Turonensis de miraculis S. Martini, nec non quæ tradit Ignatius in vita S. Tarasii apud Surium (8). Referam dumtaxat, quod memoriæ posterorum reliquit Sozomenus de S. Mela Civitatis Riconolutæ ad Ægypti fines Episcopo. Igitur Valentis Imperatoris mandato, cum eo milites advolassent, ut S. Antistitem exulatum abire cogerent, contigit, ut ipsi Ecclesiam ingressi, eum vili admodum, sordidaque veste indutum repererint, qui lampadas actu componebat, expoliebatque. Hæc memoratus Historiæ Auctor (9). Quid ergo, ipse inquam, clarius de pensilibus lampadibus in Ecclesiis adhiberi solitis? Quid præstantius, atque certius?

CAP. XI.

Afferuntur, & illustrantur S. Gregorii PP. loca, quibus pensilium lampadum usum ætate sua ubique receptum declarat.

Hactenus Ss. Patrum testimoniis, nec non monumentis ab Historia Ecclesiastica depromptis, institutum nostrum tueri, ac firmare pro virili parte studuimus. At si ingenue loqui fas, sit, de lampadibus pensilibus parum, aut nihil

hil

(7) Laudat. Vit. S. Sylvestri.
(8) *Lib.* 1. *cap.* 15.
(9) *Tom. I. pag.* 1082.

hil ab eis distincte pronunciatum. **Age ergo si Paulinum** Nolanum excipias, haud ex Patribus diligentiorem alium reperias Gregorio Magno, qui de lampadibus pensilibus in suis Epistolis, aliisque scriptis mentionem solerter adeo, & definite injecerit. Exuberant quodammodo loca, in quibus de iisdem lampadibus in Ecclesiis ad lumen emittendum dispositis, crebra, & splendidissima testimonia reliquit. Ut nonnulla promamus, is quidem de Episcopo Ariano narrationem exorsus, qui Longobardis studebat, & una cum eis Spoletum advenerat = *Cœpit ab ejus*, inquit, *Civitatis Episcopo Ecclesiam petere, quam suo errori dedicaret. Quod dum valde Episcopus negaret, idem, qui venerat, Arianus beati Pauli Apostoli Ecclesiam illic cominus sitam, se die altero violenter intraturum esse professus est. Quod ejusdem Ecclesiæ custos audiens, festinus cucurrit, Ecclesiam clausit, seris munivit. Facto autem Vespere, lampades omnes extinxit, seque in inferioribus abscondit. In ipso autem subsequentis lucis crepusculo, Arianus Episcopus, collecta multitudine, advenit, clausas Ecclesiæ januas effringere paratus; sed repente cunctæ simul portæ divinitus concussæ, dejectis longius seris apertæ sunt, atque cum magno sonitu omnia Ecclesiæ claustra patuerunt, effuso desuper lumine, omnes, quæ extinctæ fuerant lampades, accensæ sunt. Arianus vero Episcopus, qui rem facturus advenerat, subita cæcitate percussus est, atque alienis jam manibus ad suum habitaculum reductus est* (1). Illustrior vero est locus, quo idem Pontifex Ecclesiæ meminit ab ipsis Arianis occupatæ, quæ deinceps juxta Catholicum ritum sacra benedictione inaugurata fuit. Porro hac occasione patratum divinitus portentum hisce verbis describit = *Die vero alio, cum lampades sine lumine dependerent*

(en

(1) *Histor. lib. 6.* Verum discrepat a Sozomeno Cassiodorus, qui rem ipsam hisce verbis denarrat --- *Venerunt ad hujus Ecclesiam, quem, dum invenissent, velut ultimum Ministrum candelas Ecclesiæ præparantem, interrogaverunt, ubi esset Episcopus; & ille: Ego, inquit, vos Episcopo nunciabo. Tunc ex itinere fatigatos ad Episcopum duxit, & apposita mensa pavit, ut voluit. Postea ministerio completo ciborum, dixit se esse Episcopum* --- *Hæc* Cassiodorus suæ *Histor. Ecclesiast. tripart. lib. 8. cap. 1. pag. 302. T. 1.* Nihilominus majorem fidem dandam fore Sozomeno, quam eidem Cassiodoro crediderim, cum hic ex rumore rem retulisse scribat. Ut ut sit, hæc pauca ex Patribus, & ex Historia Ecclesiastica selegisse duximus, quæ quidem rei nostræ satis esse nemo non videt.

(en lampades pensiles) *emisso divinitus lumine sunt accensæ. Post paucos iterum dies, cum expletis Missarum solemniis, extinctis lampadibus, custos ab eadem Ecclesia egressus fuisset, post paullulum introivit, & lampades, quas extinxerat, lucentes reperit, quas negligenter eas extinxisse se credidit, eas jam solicitus extinxit, & exiens atque Ecclesiam solicitus clausit, sed post horarum trium spatium regressus, lucentes lampades, quas extinxerat, invenit* (2). Haec ille, unde lampadum pensilium usus in Ecclesiis Gregorii aetate receptus elicitur apertissime. Denique silentio minime praetereundum videtur ostentum plane egregium, & singulare, quod de S. Nonnoso Abbate ipse literis mandavit. Lubet integra S. Pontificis verba, quibus res universa describitur, recitare = *Cum Vir venerabilis lampades vitreas in Oratorio lavaret, una ex ejus manibus cecidit, quæ per innumeras partes fracta dissiluit, qui vehementissimum Patris Monasterii furorem timens, lampadis omnia fragmenta collegit, atque super altare posuit, seque cum gravi gemitu in orationem dedit. Cumque ab oratione caput levasset, sanam lampadem reperit, quam timens per fragmenta collegerat* (3). Nunc disserendum foret de Sanctorum *oleis*, quæ idem Grogorius lectissimae, rarique exempli foeminae Theodolindae Longobardorum Reginae dono misit. Sed aptior de illis locus occurret, ubi de oleo concinnandis lampadibus adhibito praecipue instituetur oratio. Postremo illud meminisse juvat, beatissimum Pontificem tam vehementi studio flagrasse, quo lampades testificandi gratia Deo, atque Cœlitibus cultum in Ecclesiis lucerent, ut ipsemet (4) plura praedia Basilicae S. Paulli legaverit, ea quidem lege, ut quotannis eorum redditus luminibus fovendis insumerentur (5); Ex quo intelligas (ait Spondanus) quam abundans in eadem Ecclesia soleret esse copia lampadum incensarum, quarum dumtaxat usui tot tantaque servire deberent oliveta.

CAP.

(2) *Dialogor. lib. 3. cap. 209. col. 341. Edit. Venet.* 1705.

(3) *Ibid. cap. 30. col.* 344.

(4) *Ibid. cap.* 10. *col.* 180.

(5) Apposite fundos tacuimus, qui ab ipso Gregorio eadem de caussa assignati etiam Basilicæ S. Petri dicuntur, siquidem suo loco illorum assignationem discutiemus, num scilicet Pontifici Sanctissimo sit adscribenda?

CAP. XII.

Lampadum pensilium usus in Ecclesiis Imperatorum, & Regum placitis, aliorumque Principum factis comprobatur.

Antequam ultra progrediatur oratio, non abs re erit, imo ipsius argumenti praescripto videtur conveniens, consuetudinem in Ecclesiis inductam de lampadibus pensilibus ad lucem emittendam dispositis, Imperatorum, & Regum placitis, simulque Principum factis comprobare. Age jam monumenta, quae eadem de re habentur, pauca quidem, sed quam certissima, & solis fulgore ipso lucidiora promamus. Primus omnium obviam se dat Cassiodorus, qui Theodorici Gothorum Regis ab Epistolis fuit. Is igitur Epistolam producit, ipsius Teodorici nomine Johanni Episcopo Salonitano conscriptam, in qua Rex illi mandat, ut sexaginta orcarum olei pretium Johanni persolvat, quas antea ab eo acceperat, ut lampades Ecclesiae suae oleo instrueret. = *Sanctitatem vestram* (en ejusdem Epistolæ verba) *a se sexaginta orcas* (1) *olei ad implenda luminaria suscepisse, quarum pretium postulat, oportet restitui* (2). Jam vero, quid testatius, quid certius de consuetudine ubique generatim recepta lampadum in Ecclesiis collucentium? Hanc ipsam plane consuetudinem testatissimam facit Justinianus Imperator in suo de aedificandis Ecclesiis programmate. Praecipit

(1) Ubi suo loco largitiones Ecclesiis antiquitus factas, pro lampadibus oleo instruendis recensebimus, de fundis a Gregorio legatis late disputabitur.

(2) Ab Isidoro (lib. 20. cap. 6.) edocemur *Orcam Amphoræ* speciem, præsertim continendi olei gratia elaboratam. Porro vas fictile fuisse ad usum Oleariorum auctor est Persius

Angusto collo non fallier Orca.

Orcarum præterea meminit Gregorius M. *Epist. IV. ad Petrum Subdiaconum*, ad quam vocem hæc adnotant ejusdem operum Editores --- Vox Hispanica est ex Varrone *de Re Rustic. lib. X. c.* 13. Isidorus *lib.* 20. *cap.* 6. ait Amphoræ speciem esse. Gregorius Turonensis *lib.* 4. *Hist. cap.* 40. ita scribit --- *Septuaginta vasa, vulgo orcas vocant, olei, liquaminisque furati sunt.* Apud Senatorem *lib.* 3. *Epist.* 5. *sexaginta orcas olei habentur.* Denique in *Orcis* conditos cineres apud Romanos adfirmat Salmasius in suis adnotationibus ad Solinum *pag.* 1204.

cipit enim, ne Ecclesia de novo construatur, nisi prius a Fundatore reditus, Episcopi arbitrio, pro lampadibus oleo fovendis adsignetur = *Non aliter*, inquit, *quispiam Ecclesiam ex novo aedificare audeat, priusquam loquatur ad Dei amabilem Episcopum, ut definiat mensuram, quam deponet, & ad luminaria, & ipsorum ministerium, & incorrumpendae domus custodiam, & observantium alimenta &c.* (1). Mitto insequentium Imperatorum constitutiones, & ordinamenta Ludovici nempe II. Augusti, cui praeiverat alter homonymus Ludovicus Pius, ut ex illorum constat Capitularibus. Denique agmen claudat vir Justiniano apprime carus, ejusque exercitus supremus moderator, videlicet Belisarius. De illo igitur haec habet Anastasius in supposito Pontificali = *Obtulit beato Petro per manus Vigilii Papae crucem auream cum gemmis pensantem libras centum, in qua scripsit victorias suas, cerostata argentea* (quae lampadum genus fuisse nonnulli putant) *deaurata maxima duo, quae sunt usque hodie ante corpus Beati Petri Apostoli &c.* (2).

C A P. XIII.

Pluribus S. Paulini Episcopi Nolani locis eadem consuetudo ostenditur, & confirmatur.

Quae de Imperatorum, Regumque ordinationibus, atque etiam Principum factis circa lampades in Ecclesiis collucentes narrata sunt, ad hunc finem id me fecisse fateor, ut quidquid hac de re apud antiquos deprehenditur, omnia in unum locum comportarem. Nunc vero, quacumque abjecta mora, ad Patres revertendum. Fatendum sane, neminem ex illis diligentiorem reperiri de lampadibus pensilibus loquentem Paulino Nolano: adeo enim solerter, ac definite eas descripsit, delineavit, expressit, ut oculis ipse tuis illas cernere tibi videaris. Ante vero omnia

(1) *Lib. 3. T. I. pag. 40. Edit. Venet.* 1729.

(2) *Novell. 67. cap. 2.*

illud advertere fas est, Praesulem nostrum ardenti amoris, & observantiae studio flagrasse erga sanctum Christi Martyrem Felicem, quem sibi adsciverat Patronum longe singularem. Hinc in more habuit, quotannis diem ejus emortualem, quem ipse *Natalis* nomine vocat, maxima apparatione, variisque lætitiæ, cultusque significationibus concelebrare. Præcipue elegantibus versibus complecti studuit tum ipsius Martyris laudes, tum Ecclesiæ, & Altaris ejus ornamenta. Sic ergo canit ad rem nostram Poeta piissimus.

Clara coronantur densis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris;
Nocte, dieque micant: sic nox splendore diei
Fulget, & ipsa dies cœlesti illustris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

(1) Alibi expressius sic loquitur.

Ecce vides quantus splendor velut æde renata
Rideat insculptum camera crispante lacunar,
In ligno mentitur ebur, tectoque superne
Pendentes lychni spiris retinentur abenis,
Et medio in vacuo laxis vaga lumina nutant
Funibus undantes flammas levis aura fatigat.

(2) Rursus vitream lucernam, in qua aqua, & oleo elychnium denatat, ita graphice describit.

Cominus in medio tecti cameram inter, humumque
Natabit solidis lignum suspendens funis
Innectens triugum supremo stamine ferrum;
Quo vitrea inseritur penetrabilis ansa lucernæ,
Auritusque calix (3) tribus undique figitur uncis.
Funditus albet aqua, super undam flavet oliva,
Stat liquor in liquidis subjecto lubricus humor,
Fronte natat, neque juncta erit mixtura fluoris.
Mergitur in medio plumbum tripes, & cavus illo
Extat apex cincti stipatus fomite lini,
Stuppa madens liquidum tenui face concipit ignem.

(3) Prae-

(1) *Carm.* 3. *in S. Fil.*
(2) *Natal.* 5.

(3) Altera lampadum species, de quibus alibi.

(3) Praeterea de iisdem lampadibus pensilibus haec habet.

Ast alii pictis accendunt lumina ceris,
Multiforesque cavis lychnos laquearibus aptant,
Ut vincant tremulas funalia pendula flammas.

(4) Tandem de latrone, qui lampadem furandi caussa noctu Ecclesiam ingressus fuerat, sequentes versus panxit Poeta noster.

Hanc importuno sibi lumine prædo micantem
Protinus extinguit, namque id quoque noverat idem
Sæpe solere mori, cum stuppa perarida longam,
Conderet in noctem consumpto lumine oliva.

(5) Hæc Praesul, & Poeta eximius, qui non tantum lampades, verum etiam omnia, & singula, quae ad illas componendas, oleoque fovendas requiruntur, attento studio explicat mirifice.

CAP. XIV.

Loca ex Prudentio, Sidonio Apollinari, & Alcimo Avito afferuntur, & illustrantur.

Paulino placet tres alios Poetas comites dare, qui morem ipsum locandi lampades pensiles in Ecclesiis ligata oratione exposuerunt. Ut ab eorum primo ordiamur, Prudentius quidem in suo hymno de novo lumine Sabati Paschalis prope finem, sequenti modo plaudit

Pendent mobilibus lumina funibus;
Quæ suffixa micant per laquearia,
Et de languidulis fota natalibus
Lucem perspicuo flamma jacit vitro.

(1) Quod spectat Sidonium Apollinarem, qui gratulabundus de Ecclesia a S. Episcopo Patiente Lugduni constructa mittit ad Hesperium carmen, quod a se enixe petierat, in eodem carmine sic effatur.

Quis-

(3) *Natal.* 7.
(4) *Nat.* 6.
(5) *Nat.* XI.
(1) *Cathemerinon* V. de novo lumine 140.

Quisquis Pontificis, Patrisque nostri
Collaudas Patientis hic laborem,
Voti compote supplicatione
Concessum experiere quod rogabis.
Ædes celsa nitet, nec in sinistrum
Aut dextrum trahitur, sed arce frontis
Ortum prospicit æquinoctialem.
Intus lux micat, atque bracteatum
Id sic sollicitatur ad lacunar
Fulvo aut concolor erret in metallo.

(2) Profecto per ea verba *lux micat*, liquet subindicatas a Sidonio lampades pensiles in ipsa Ecclesia coruscantes. Denique de Alcimo Avito, patescunt ex se ipsius verba; quippe qui non tantum lampades commemorat, sed & modum, quo ipsæ instruebantur, subindicat. En quomodo Poeta canit;

Aut quæ neglectum liquit pars altera succum
Incensos lychnos nequidquam sustulit; unde
Emicat exiguus commoti luminis ignis,
Sed virtute carens languentem lampada fervor
Deserit, & siccum percurrit flamma papyrum.

(3)

CAP.

140. Edit. nuperrime 1788. *T. I. pag.* 295. Arbitrantur nonnulli Prudentium hoc hymno pervigilium ad resurrectionem Dominicam descripsisse. Codices quidem Heinsy habent --- *Ad incensum lucernæ*, quod ipsi arridet, quia ritus Cerei paschalis ævo Prudentii ignotus erat. In Codice pariter Ratisbonensi idem est titulus. Re quidem vera, hunc hymnum, quippe qui ponitur inter hymnum post cibum, & hymnum ante somnum, non quidem ad benedictionem Cerei paschalis, sed ad horam lucernarii patet esse referendum. In Hymnariis Card. Thomasii modo inscribitur --- *Ad incensum lucernæ*, modo *ad benedictionem cerei Paschalis*. Præterea in Ordine Romano veteri legitur --- *Ordo de Sabato Sancto in die; aliqui tamen hic cantant hymnum Prudentii: Inventor rutili dux bone luminis.* Ad summum ipse dicerem, quod hic hymnus quacumque ex caussa fuerit a Prudentio compositus, adhibitus tamen sit vel ad benedictionem lucernæ, vel cerei, vel denique ad horam *lucernarii*. Qua de caussa diversi orti sunt tituli. Consulesis Cl. virum Arevalum Carminum Prudentii Editorem in suis *Prolegomenis Prudentianis T.* 2. *pag.* 122. *& seqq.* Addendum denique ex Sirmondi sententia, Poetam nostrum hoc hymno de igne loqui, qui singulis sabatis e silicibus extrahebatur, quod quidem suo suffragio comprobat Thomassinius Tractat. de Festis *lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 8. Menardus in notis ad Sacramentar. S. Gregorii M. *pag.* 90. Martenius Tract. de antiq. Eccles. disciplina *pag.* 405. *Edit. Lugdunen.* 1706. ac Benedictus PP. XIV. in suis Notificationib. 39. *pag.* 144. *n.* 5.

(2) *Lib. II. Epist. X. Biblioth. Patr. T. XV. Edit. Paris.* 1744.

(3) Alcim. Avit. ad Fuscinand.

CAP. XV.

Recensentur loca ex Anastasio Bibliothecario, in quibus lampadum pensilium mentio fit apertissima.

Principio illud pro certo habendum, nullibi in sacra antiquitate detegi luculentius, solidiusque consuetudinem retinendi lampades pensiles in Ecclesiis, quam ab Anastasio Bibliothecario, sive quivis alius auctor de Vitis Romanor. Pontificum. Sane quidem frequens adeo lampadum mentio fit, ut pro omnium locorum recensione liber fere totus esset exscribendus. Nos igitur quædam tantum loca decerpsimus, indicatis ex ordine Pontificibus, qui hac in re munificentiam suam in sacra Templa prodiderunt. Accedit, nobis se daturam fortassis occasionem, ea quae nunc omittuntur loca, alibi producendi, ubi scilicet de variis ipsarum lampadum formis instituetur oratio. Agedum ergo Biographus noster de Constantini Magni largitionibus, modo uni, modo alteri Ecclesiae collatis dicere aggressus, haec in vita S. Sylvestri I. PP. posteritati mandavit: = *Fecit. . . . Phara canthara argentea XXX. pensant. singula lib. VIII. Phara canthara aurichalca XL.* (1). Itidem in Ecclesia sub titulo Æquitii = *Phara coronata X. pensantia singula lib. VIII. Phara aerea XX. pensant. singula lib. X.* (2).

Vit. ejusd. Pontificis = *Fecit. . . . ad dexteram Basilicæ Phara argentea XXX. pensant. singula lib. VIII.* (3).

Vit. S. Marci = *Basilicæ, quæ est in Urbe, obtulit hæc dona: Coronam argenteam pensant. libr. XI.* (4).

Vit. S. Damasi = *Hic constituit Titulum in Urbe Roma Basilicam, quam ipse construxit, ubi & hæc dona obtulit: Coronas argenteas V. pensantes singulas lib. VIII. Cantbara argentea aurea XVI.* (5).

Vit.

(1) *Lib. Pontific. Edit. Vignolii Tom. I. pag.* 98.
(2) *Ibid. pag.* 79.
(3) *Eod. Tom. pag.* 93.
(4) *T. I. pag.* 110.
(5) Ibid. *pag.* 124.

Vit. S. Innocentii I. = *Hic dedicavit Basilicam Sanctorum Gervasii, & Protasii . . . . . in quo Dominice beatissimus Innocentius ex obligatione illustris fœminæ Vestinæ Titulum Romanum constituit, & eidem hæc dona obtulit. . . . Coronas argenteas XII. pensantes singulas lib. XX. Pharum Cantharum argenteum unum pensans lib.X. XII.* (6)

Vit. S. Bonifacii I. = *Hic fecit Oratorium in Cœmeterio Sanctæ Martyris Felicitatis juxta corpus ejus, & ornavit sepulchrum ejus, & S. Sylvestri, ubi posuit hæc dona: Coronas argenteas III. pensantes singulas lib. XV.* (7).

Vit. S. Cœlestini I. = *Fecit Pharum Cantharum argenteum pens. libr. XXV. Canthara cerostata in gremio Basilicae XXIV. pensan. singula lib. XX.* (8)

Vit. S. Xysti III. = *Hic . . . fecit . . . . Pharum argenteum ante altare pensant. lib. XXX. Coronas argenteas funales XXXIV. pensant. singulas lib. X. in Basilica S. Mariæ Virginis, quam ipse fecit* (9).

Vit. S. Hilarii = *Ante Confessionem beati Joannis posuit Coronam argenteam pensant. lib. XX. Pharum Cantharum argenteum pens. lib. XXV. Hic ad S. Joannem intra sacrum fontem Lucernam cum myxis luminum X. pens. lib. V. Ad beatum Petrum Apostolum . . . . Phara Canthara argentea XXIV. pensant. lib. quinas* (10)

Vit. Symmachi = *Item ad beatum Petrum XX. Canthara argentea fecit singula pensan. lib. XV.* (11)

Vit. S. Hormisdae : = ~~*Eodem tempore fecit Papa*~~ *Hormisda in Basilica Constantiniana Coronam argenteam ante altare pens. lib. XX. Canthara argentea XXVI. pens. singula lib. duodenas. Item ad beatum Paullum . . . . Canthara argentea XV. pens. singula lib. XV.* (12).

Vit. Honorii I. = *Ornavit & sepulchrum ejus.* (S. Agnetis) . . . *fecit & Gabathas aureas III. pensant. singulas lib. III.* (13).

Vit.

(6) Ibid. *pag.* 131.
(7) Ibid. *pag.* 137.
(8) Ibid. *pag.* 140.
(9) Ibid. *pag.* 142.
(10) Ibid. *pag.* 157.
(11) Ibid. *pag.* 179.
(12) Ibid. *pag.* 189.
(13) Ibid. *pag.* 245.

Vit. S. Theodori = *In Basilica beati Stephani & hæc dona obtulit Gabathas aureas III.* (14).

Vit. S. Sergii I. = *Ad Exarchi auri famem explendam Canthara, & Coronas, quæ ante sacrum Altare, & Confessionem beati Petri Apostoli ex antiquo pendebant, deponi fecit, & pignori tradi* = (15).

Vit. Gregorii II. *Canistra decem pensant. singula libr. XII., & alia dona largitus est* (16).

Vit. Gregorii III. *In Ecclesia S. Dei Genitricis ad Præsepe . . . . obtulit ibi coronas argenteas quatuor. Phara Canthara duo* (17).

Vit. S. Zachariæ = *Idem fecit Coronam de argento purissimo cum Delphinis ex proprio suo pensant. lib. CXX.* (18).

Vit. Stephani II. = *Posuit* (in Basilica beatæ Petronillæ) *Canistra argentea multa, & alia plurima ornamenta* (19).

Vit. S. Hadriani I. = *Fecit Canistra XII. pensant. lib. XXXVI. & delphinos per diversas Coronas XXXV. pensant. libr. VIII. In eadem quippe beati Petri Ecclesia per diversas Coronas fecit Delphinos ex argento librarum centum.* (20).

Vit. Leonis IIII. *Fecit in Basilica beati Petri Apostoli Pharum argenteum ante Presbyterium cum Gabathis argenteis XXX. & canistrum octigoni in medio pensant. lib. IX. & in Cantharis argenteis, tam in circuitu Altaris, quam in Presbyterio posuit Cerostata argentea pensant. inibi lib. CCXII.* (21).

Vit. Stephani V. = *Cum conspiceret nocturnis vigiliis lampades consuetudinarias deesse, Gabathas argenteas cum lampadibus obtulit, & continuatim vigiliis ardere præcepit. Item ob amorem beati Petri* (obtulit) *Cantharum unum cum pretiosis Margaritis, & gemmis, ac Smalthis cum perpendiculo* (notanda hæc verba, e quibus lampades pensiles manifesto arguuntur) *ad pendendum* (22).

Vit. S. Paschalis I. *Fecit in Basilica beatæ Dei Genitricis Virgi-*

(14) Ibid. *pag.* 256.
(15) Ibid. *pag.* 205.
(16) T. III. *pag.* 24.
(17) T. *II. pag.* 49.
(18) Ibid. *pag.* 76.
(19) T. II. pag. 125.
(20) Ibid. *pag.* 231.
(21) Ibid. *pag.* 241.
(22) T. III. *pag.* 271.

Virginis. . . . ad praesepe Gabathas de auro diversis gemmis ornatas num. II. pensan. lib. VIII. It. obtulit Gabathas ex auro purissimo cum diversis gemmis num. VI. pensan. lib. XX. & uncias VI. Et hoc constituit, ut semper diebus, ac noctibus ante sacrosanctum Altare lucere debeant (23).

Vit. Sergii II. = *Fecit . . . Coronas de argento purissimo num. III. Similiter & canistrum de argento purissimo unum.... obtulit Canthara de auricbalco* (24).

Vit. Leonis IV. = *Obtulit* (in Ecclesia S.Petri) *Gabathas ex argento fusiles maiores, minoresque septem pensant. pariter libr. sexdecim, & unciam unam. Et in Ecclesia beati Petri Principis Apostolorum . . . . fecit Butronem ex argento purissimo, qui pendet in Presbyterio ante Altare majus, pensan. libr. centum quadraginta, & novem* (25).

Vit. Nicolai I. *Fecit Gabatham de argento unam pensan. libras duas* (26).

Hæc loca e libro Pontificali sumenda duximus, e quibus aperte elicitur a Sylvestri I. PP. ævo usque ad Nicolaum pariter I. usum lampadum pensilium in Ecclesiis constanter obtinuisse. Quid quod satis ab Anastasio Bibliothecario edocemur, laudatos Pontifices vehementi studio incensos, ut modo unam, modo alteram Urbis Ecclesiam, maxime vero Principis Apostolorum Basilicam, hujuscemodi muneribus cumularent.

C A P. XVI.

Benedictione Cerei Paschalis, quae Sabatho Sancto peragitur, idem lampadum pensilium usus apud Ecclesias ubique propagatus demonstratur.

Quae supra ex libro Pontificali deprompsimus monumenta, ea quidem Romae tantummodo Ecclesias attin-

(23) T. II. *pagg.* 341., & 344.
(24) Ibid. *pag.* 58.
(25) T. III. *pag.* 136.
(26) Ibid. *pag.* 180.

tingunt, in quas plane Summorum Pontificum, ut diximus certatim sese effudit liberalitas. Nunc foras egrediendum, & orbis terrarum fas est Ecclesias invisere. Itaque nemo unus ignorat, Ritum Benedictionis Cerei Paschalis Sabbato Sancto priscis ab inde saeculis inductum. Mitto controversiam, quae non parum torquet Eruditos, num sacri Praeconii auctor fuerit Papa Zosimus, an vero adscribendum Augustino; qua de re ambigi non posse videtur (1). Ut ut sit, constat quam certissime, idem Praeconium ubique in singulis totius Occidentis Ecclesiis quotannis decantatum, demptis dumtaxat Hispaniarum nonnullis. Consulendus hac de re Martenius, qui sicut alios omnes Ritus antiquos, sic illos etiam, qui Sabbato Sancto ab Ecclesiis olim peragebantur, summa collegit sedulitate, ac labore (2). In ipso igitur Praeconio lampadum mentio fit apertissima, imo de illis praescriptum habetur, ut statim ac Diaconus earum nomen canendo pronunciaverit, lampades omnes, quotquot sunt per Ecclesiam dispositae, accendantur. Ad propositam rem nostram volupe est, portentum singulare in Ecclesia Hierosolymitana singulis annis evenire solitum, ipsius Martenii verbis recitare. = *Præterea* (ait ipse) *non debet omitti miraculum insigne quotannis ad sanctum Dei Sepulchrum contingere solitum, ubi in vigilia Paschatis lampades Ecclesiæ, igne cœlitus immisso, accendebantur. Hujus*

F

(1) Circumfertur plane sermo sub nomine S. Hieronymi de Cereo Paschali inscriptus. Sed Doctoris maximi fœtum non esse evidenter demonstrat idem Arevalus in recentissima operum Prudentii Editione *pag.* 128. *T. I. n.* 150. Et revera id longe satis evincunt personati Scriptoris hæc verba --- *Lege Pentateuchum, instrumentum percurre vetus; nunquam in Dei sacrificiis, mella, ceræ usum ad lucernarum lumina, & oleo fotos videbis igniculos, novos percurre libros . . . . . nunquam alibi cereus.* Non me latet laudari in hanc rem ipsius Doctoris Maximi Epistolam ad Præsidium Diaconum; sed pluribus probat Guillelmus hanc perperam Hieronymo tributam, licet tamen coævi Scriptoris fœtum esse dubitari nequeat. Ceterum duas Cerei paschalis benedictiones constat elucubratas ab Ennodio Ticinensi Episcopo, qui sexto adolescente sæculo vivebat. Utcumque sit, exibilanda prorsus opinio viri heterodoxi Samuelis Basnagii, qui (*hist. de l'Eglise lib.* 16. *cap.* 10. *n.* 1.) insectatus Codicem Sacramentorum Ecclesiæ Romanæ inter alia rationum momenta, quibus detrahere nititur ejus antiquitati, contendit ritum, qui ibi præscribitur benedictionis Cerei Paschalis, a Gregorio I. Rom. Pontifice primitus inventum, sed hunc maleferiatum hominem toto cœlo aberrare strenue probat Antonius Franciscus Vezzosius *Præfat. ad Tom. VI. Operum Ven. Card. Thomasii.*

(2) *De Antiq. Eccles. Ritib. lib. IV. cap. XXIV. col.* 415. *& seq,* T. II.

jus miraculi imprimis mentionem facit Bernardus Monachus Franciscus, qui circa an. 875. ad loca Sancta iter aggressus est, quod etiam literis mandavit; in eo quippe agens de Ecclesia S. Sepulcri, observat, quod Sabbato Sancto, quod est vigilia Pascha, mane Officium incipitur in Ecclesia, & post peractum Officium, Kyrie eleyson canitur, donec veniente Angelo lumen in lampadibus accendatur, quæ pendent super prædictum Sepulcrum, de quo dat Patriarcha Episcopis, & reliquo populo, ut illuminet sibi in locis suis. Haec laudatissimus Auctor, in cujus rei confirmationem prodit Pontificale antiquissimum Ecclesiæ Pictaviensis, in quo idem miraculum Hierosolymis Sabbato Sancto evenire perhibetur. Profert insuper attestationem Hugonis Flaviacensis in suo Chronico Verdunensi. Monet postremo idem miraculum Hierosolymis accidisse tempore Roberti Regis Francorum occasione, quod Odolricus Episcopus Aurelianensis eo se contulit teste Glabero Rodulpho *Histor. lib. 4. cap. 6.* Alia id genus monumenta producit idem Martenius, maxime vero locum ex perveteri Martyrologio Usuardi Monasterii Horiacensis, in quo hæc verba literis rubris exarata leguntur = *Kalendis Junii susceptio Paschalis ignis ab Hierosolyma allati* (3). Non me latet, nonnullos e Protestantibus fraude Christianorum id factum asseruisse; sed qui nono, & sequentibus sæculis floruerunt, remque omnem, ut agebatur, coram conspexerunt, prodigii loco habendum existimarunt. Hoc etiam animadvertit Mamachius *Origin. Christianar. 2. §. 7. pag. 65. & seqq.* Praeterea apud Mabillonium *Tom. 4. Actor. SS. Ord. S. Benedicti pag. 524. Edit. Paris.* idipsum prodigium, & iisdem supra allatis verbis recensetur: *Sabbato Sancto quod est vigilia Pascha, mane officium incipiunt in Ecclesia, & post peractum Officium Kyrie Eleyson canitur, donec veniente Angelo, lumen in lampadibus accendatur, quæ pendent super prædictum Sepulcrum, de quo dat Patriarcha Episcopis, & reliquo populo, ut illuminet sibi in suis locis.* Praeterea, Urbanus

(3) Consule sis pereruditum, & in sacris Antiquitatibus haud modice versatum Fr. Augustinum Allegranza Ord. Prædicator. in Opere *Opuscoli Eruditi &c.* ubi pag. 129. late de eodem portento edisserit, certisque monumentis probat, lampades in Hierosolymitana Ecclesia Sabbato Sancto per Angelum accensas.

banus PP. II. Sermone habito in Concilio Claramontano an. 1095. apud Harduin. *Tom. I. Concil. Par. II. pag.* 1726. = *neque*, inquit, *ibi Deus hoc annuatim praetermittit facere miraculum, cum in diebus passionis suae, extinctis omnibus & in Sepulcro, & in Ecclesia circumcirca luminibus, jubare divino lampades extinctae reaccenduntur*. His igitur positis, jam conclamata videtur oratio nostra, morem scilicet retinendi lampades pensiles a primo aevo insequentibus saeculis longe lateque per omnes Ecclesias propagatum. Denique illud notasse juvat inter abusus, & innovationes, quas Synodi Toletanae IV. Patres avellere student; Canone nono sequentem confodiunt = *Lucerna, & Cereus in pervigiliis Paschae apud quasdam Ecclesias non benedicuntur*; unde inferre datur, universim apud Hispaniarum Ecclesias lampades una cum cereo Paschali benedici, & accendi in more positum fuisse (4).

C A P. XVII.

Conciliorum afferuntur Canones, & Decreta, quibus ipse lampadum pensilium usus in Ecclesiis ubique protensus ostenditur.

Ex his, quae hactenus dicta sunt, ad Orientis, & Occidentis Ecclesias lampadum pensilium usum pervasisse perspicue dignoscitur. Nihilominus perplacet argumentum aliis ab ipsa antiquitate eductis monumentis communire. Igitur ea semper fuit mens Conciliorum, ut explanatis, & constitutis, quae ad Orthodoxam fidem spectant, postea ad mores Fidelium corrigendos, nec non ad Ecclesiasticam disciplinam, si qua ex parte collapsa fuerit, reparandam, vel sartam tectam servandam, totis viribus Patres adlaborarint. Hæc, inquam, semper fuit mens, hic finis, & institutum.

(4) Eundem hunc morem apud Hispanos confirmare videtur Elipandus Toletanus in Episcopale ad Albinum (inter opera Alcuini *Tom.* 2. *col.* 917. *Edit. Paris.*) ubi locum citat ex oratione, quae *Benedictio lucernae* inscribitur (Miss. Mozarab. *pag.* 176. *lin.* 56. Eumque S. Isidoro adscribit.

tutum. Jam vero de lampadum pensilium in Ecclesiis adustione, quid ab iisdem Patribus cautum fuerit, modo est pervestigandum. Ante vero quam Canones hac de re editos proferamus, illud advertisse juvat, *Luminariorum* nomen non una semper significatione donatum; aliquando enim pro Ecclesiae fabrica acceptum vetustis, summaque fide dignis innixus chartis adfirmat Cangius (1); interdum vero hoc nomine indicatos pauperes, ac peregrinos, qui Ecclesiae reditibus alebantur, probare nititur Cennius ex Epistola Stephani PP. II. ad Regem Pipinum Codici Carolino assuta; sic enim in illa eloquitur ipse Pontifex = *Unde pro animæ vestræ salute indefessa luminariorum concinnatio Ecclesiis permaneat* (2). Quibus quidem verbis hanc notam appingit idem Cennius = *Quamobrem Luminaria Ecclesiarum egeni, & peregrini, quos ærarium Pontificum fovebat, patrimoniorum S. Sedis indigebant, quæ propterea cum Stephano, tum Successoribus æque ac Civitates cordi fuisse non est mirum.* Tandem ambigi certe nequit, *Luminariorum* vocabulo, propria, & communi significatione venisse lampades olearias, sive cereos, & candelas, quæ in Ecclesiis adurebantur. His in antecessum notatis, modo ad Conciliorum Decreta accedamus. Cunctis præeat S. Germani Patriarchæ C. Politani Epistola ad Johannem Episcopum Synadensem data, & actioni V. Synodi II. Nicænæ anteposita; ad quam nemini incompertum, Patres ea de caussa accessisse, ut anathematis telo Iconoclastas, sive sacrarum Imaginum osores perfoderent; cultumque pariter earum pium, ac religiosum declararent. In eos itaque flagrantissime invehitur Antistes eximius, multisque probat, morem incendendi lampades coram Sanctorum Imaginibus ab antiquis temporibus descendere. Præstat aliqua ejusdem Epistolæ verba recitare = *Sed nec illud scandalizet quosdam, quod ante imagines Sanctorum luminariorum concinnatio, & suavis odoris thymiamata fiant. Symbolica namque talia celebrare ad honorem illorum excogitata sunt,*

(1) *Glossar. lit. L. col. 270. Edit. Ven.* 1739.

(2) *T. I. pag. III.*

sunt, quorum cum Christo requies est, quorum honor in eum recurrit, hoc probante Basilio sapiente; quia honor circa bonos Conservorum approbationem habet benevolentiæ erga communem exhibitæ dominum. Indicia sunt namque sensibilia lumina divini, ac sine materia luminis dati porro aromatum incensum purissimæ, & totius Sancti Spiritus inspirationis, & refectionis insigne (3). Agedum ergo Patribus Concilii Tarraconensis an. 516. habiti, vix patefactum, quod in aliquibus Ecclesiis abusus irrepsisset, ut lampades extinguerentur, ne chorus divinis laudibus personaret, statim Can. 7. edixerunt = *Ut omnis Clerus die Sabbato sit paratus, quo facilius die Dominico solemnitas cum omnium præsentia celebretur, quia desistente Clero (quod est pessimum) comperimus in Basilicis nec luminaria ministrari* (4). Sed in pejus crimen excandescunt Patres Concilii Toletani XIII.; cum enim Sacerdotes ipsi data opera, ut ex industria lampades in Ecclesiis extinguerent, solemni idcirco sanctione in eos hanc pœnam decernunt = *Quicumque ergo Sacerdotum, vel Ministrorum, deinceps, causa cujuslibet doloris, vel amaritudinis permotus, aut altare divinum, vel vestibus sacratis exuere præsumpserit, aut qualibet alia lugubri veste accingi* (lege accinxerit) *etiamsi consueta luminariorum sacrorum obsequia de templo Dei subtraxerit, vel extingui præceperit.... ignobilitati perpetuæ mancipatus juxta superiorem sententiam Domini & loci sui dignitate, & hoc honore privari* (5). Præiverat Concilium Toletanum IV. anno reparati Orbis 597. coactum, & Recaredi Hispaniarum Regis XII., cum Ecclesiæ universæ clavum teneret Gregorius PP. I. Sic igitur Can. secundo Patres decernunt = *Id etiam placuit Dei Sacerdotibus, ne quisquam Antistes infra suam Parochiam Dei aulam inquirat, & munificus ille, qui sanctam Dei ædificaverit Ecclesiam, quod ibidem pro suo funere largitus est, eodem loco Presbyter secundum priorum Canonum instituta deserviens habeat. Et si Presbyterum ea facultas habere non permittit, vel Diaconus instituatur. Certe si minor est census, Ostiarius a Sacerdote suo electus, qui nitorem infra sinus*

sanctæ

(3) Vid. T. *VIII. Concilior. Lab. col.* 963. *Edit. Ven.* 1728.
(4) *T. V. ejusd. Collect. Labb.*
(5) *Can.* 7. Habita est hæc Sydonus *an.* 683. Vid. T. VII. ejusd. Collect.

sancta Ecclesia faciat, qui & Sanctarum Reliquiarum luminaria omni subsequenti nocte accendat (6). Paullo supra iidem Patres praeclarum de lampadibus testimonium ediderant, sanxerantque = *Lucerna, & cereus in pervigilio Paschæ apud quasdam Ecclesias non benedicuntur*, & cur a nobis benedicuntur, inquirunt. *Propter gloriosum enim noctis ipsius Sacramentum solemniter benedicimus, ut sacræ Resurrectionis Christi Mysterium, quod tempore hujus votivæ noctis advenit, in benedictione sancti luminis suscipiamus* (7). Sed maxime huc facit Canon Secundus Concilii Braccarensis III. an. 572. coacti; in quo Patres concordi, constantique sententia definiunt = *Placuit, ut nullus Episcoporum cum per Diœceses suas ambulat, præter honorem Cathedræ suæ, idest duos solidos, aliquid per Ecclesias tollat, neque tertiam partem ex quacumque oblatione populi in Ecclesiis Parochialibus acquirat, sed illa tertia pars pro luminibus Ecclesiæ reservetur.* (8) Tandem sic habent verba Decreti, quæ a Gratiano Concilio Aurelianensi adjudicatur = *Nemo Ecclesiam ædificet, antequam, ... præfiat, qui ædificari vult, quæ ad luminaria, & ad custodiam, & ad stipendia custodum sufficiant* (9).

CAP.

(6) *Can. 8. juxt. Edition. secundam Garziæ.*

(7) *T. VI. citat. Collect. Labb.* e postremis verbis elici posse videtur, lampades in Ecclesiis noctu dumtaxat incendi consuevisse, quod etiam innuunt nonnulli Patres, inter quos Chrysostomus loco alibi citato. Sed cave, ne cum Pseudo-Reformatoribus dispellendi tantum caussa tenebras putes; constat enim allatis Paulini versibus, aliisque vetustioribus monumentis, lampades ideo in Ecclesiis locatas, oleoque instructas, ut lumen diu, noctuque ederent; id unum negari nequit, nocturnum tempus earum accensioni maxime præscriptum. Ratio hujus instituti in promptu est; cum enim cerei, & candelæ tota fere die in altari adurerentur, postea nocte appropinquante lampades oleariæ in earum locum suffectæ. Est & alia ratio omnium validissima, quæ quidem capite sequenti prolixe, cumulateque expendetur.

(8) *Vid. citat. Collect. Labb. T. VI.*

(9) *De Consecrat. distinct. 1. Can. IX. In Concord. Regul. lib. 22. Constit. 2.*

CAP. XVIII.

Ex Lucernario, quod in Ecclesiis advesperascente cœlo accendebatur, idem pensilium lampadum usus evincitur, & declaratur.

Mihi quidem non est animus, ea vel summatim colligere, quæ ad *Lucernarii* originem, & antiquitatem attinent. Nemo vel mediocriter eruditus nescit, ejus mentionem fieri a Patribus, & Conciliis, illamque sæpe sæpius occurrere in priscis Monachorum Regulis, atque Constitutionibus. Verum illud dumtaxat notandum videtur, *Lucernarii* nomen Officio Vespertino communiter attributum, quo nimirum tempore ad persolvendas sacras preces ingruente jam nocte lampades in Ecclesia incendebantur. Hinc quoque Psalmi lucernales dicti, de quibus Socrates *lib.* 5. *c.* 22. Sic rem se habuisse docet Ugo Menardus, cui lubenti animo adstipulatur Martenius (1), qui tamen consulto monet, haud confundendas Vesperas cum eodem *Lucernario*, sive cum precibus, quæ inter accendendas lucernas, seu lampades recitabantur, quibus quidem precibus *Lucernarii* nomen concessum (2). Ut ut sit, ambigi certe nequit, ritum incendendi lampades in Ecclesiis, sole ad occasum properante, apud veteres Christianos invaluisse; adeo ut parum quodammodo soliciti viderentur, quod lampades de die lucerent, sed omne studium in id conferebant, ut illæ noctu coruscarent. Siquidem optime ipsi noverant, Deum olim Hebræis præcepisse disertis verbis, ut lucerna ante Tabernaculum nocturno tempore luceret. Juverit Levitici locum alibi adductum, hic denuo referre

= *Præ-*

(1) De Antiq. Monachor. Rit. *T. I. cap. X. pag.* 32. Vide notam Garziæ *Loaysæ in Concil. Tolet. I. cap. IX.* ubi probare nititur Lucernarium ad nostras vesperas pertinere. Consule etiam laudatum Arevalum in *suis Prudentianis* T. I. *pag.* 122.

(2) Ibid. In præsidium sibi advocat Regulam sub S. Augustini nomine vulgatam, quæ legitur in S. Doctoris Operum Appendice. Hymnum quidem Ennodii, qui *Vespertinus* dicitur ad *Lucernarium* fuisse compositum nulla oritur controversia.

= *Præcipe* (sic ipse Deus Moysi locutus est) *præcipe filiis Israel, ut offerant tibi oleum de olivis purissimum, & lucidum ad concinnandas lucernas iugiter extra velum testimonii in Tabernaculo fœderis. Ponetque eas Aaron a vespere usque ad mane coram Domino, cultuque perpetuo in generationibus vestris.* (3); cui quidem præcepto semper ab Hebræis summa cura, ac religione obtemperatum, claro attestatur Abias filiis Jeroboam in hæc verba = *Estque apud nos Candelabrum, & lucernæ ejus, ut accendantur semper ad vesperam* (4). Quid ergo? Veteres Christiani in omnibus rebus suis, cum nil magis studerent, quam id omne peragere, quod gratius, & antiquius Deo esse arbitrabantur, cumque sacrarum literarum auctoritate edocti, Deum ipsum Hebræis præceptum olim dedisse, nossent de lucernis ad vesperas incendendis, & per totam noctem sic permansuris, propterea optimo consilio suis in Ecclesiis idem faciendum censuerunt. Quæ cum ita sint a veteri *lucernario* lampadum pensilium in Ecclesiis usum emergere, quis queat addubitare? Postremo ad rem propositam illud non pigeat animadvertere, consuetudinem de lampadibus sub vesperas incendendis omissis reliquis Patribus, tum ex Chrysostomo, tum ex Paulino Nolano luculenter palam fieri (5). Hinc quæstio inter Eruditos exoritur, num Prudentius hymnum, qui in libro *Cathemerinon* quintus legitur in laudem lucernarii, panxit accomodatum ad lucernarum quotidianam accensionem in privatis Christianorum Ædibus (6) vel in laudem lucernæ, quæ accendebatur, non singulis diebus, sed vigiliis quibusdam solemnioribus, quibus post noctem insomnem Eucharistia celebrabatur; ita enim habet:

Nos festis trahimus per pia gaudia
Noctem conciliis, votaque prospera

Cer-

(3) Levit. 24. 1., & *seqq.*
(4) *Paralip.* 2. 13. 11.
(5) Vid. loc. alibi citat. Ita contendunt Hugo Manardus cit. loc., cui subscribit Mabillonius de Liturg. Gallic. lib. 1, pag. 142.
(6) Nicolaus Hemsius in Not. ad Prudentium hanc rationem affert, quia, inquit, ritus accendendi lumen Paschale post ætatem Prudentii exortus est; sed fallitur; nam S. Augustinus, qui eadem Prudentii tempestate vixit *lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 22. Edit. Maur., testatur se *laudem* Cerei Paschalis versibus exornasse.

Certatim vigili congerimus prece,
Extructoque agimus liba sacrario.

Has autem vigilias Paschales fuisse, hymnus pariter docet; nam nocte illa celebrabatur:

. . . . Qua redit Deus stagnis
Ad Superos ex Acheronticis, & qua
Marcent suppliciis tartara millibus;
Exultatque sui carceris otio
Umbrarum populus liber ab ignibus.

Quæ omnia paschalibus, ait doctissimus Lesleo (Præfatione ad Missale Mozarabicum *pag.* LX.), unice competunt. Nam ut nonnullorum antiquorum ferebat opinio, damnati apud Inferos pœnis vacabant ea nocte, qua singulis annis Christi Resurrectio celebrabatur; non est, cur a recepta antiquorum sententia recedendum sit, quæ tenet, Prudentium scripsisse hunc hymnum in laudem Paschalis luminis.

C A P. XIX.

Creditum olim Vaticanæ Basilicæ Mansionariis officium concinnandi lampades, earumdem usum confirmat.

Tametsi ex allatis auctoritatum, & rationum momentis patescat lampadum pensilium usus in Ecclesiis primoævo receptus, ac devolventibus postea sæculis inveteratus; operæ tamen pretium videtur, eamdem rem novis probationibus confirmare. Igitur nemini incompertum, antiquitus Romæ demandatum fuisse Vaticanæ Basilicæ Mansionariis inter cetera lampadum curam, atque custodiam. Re quidem vera, auctor est Onofrius Panvinius, retroactis sæculis, antequam *Custodis* officium in Ecclesia Romana oriretur, de quo *Decretal.* 1. *tit.* 27., creditum Mansionariis hocce munus (1). Præstat ipsius doctissimi Viri verba recita-

(1) *Custodis* munia hoc ordine citato decretalium titulo recensentur — Custos Ecclesiæ, cui ea, quæ Ecclesiæ competunt, custodienda committuntur, oportet, ut sui Archi-

citare. = *Mansionarius*, inquit, *dictus est Custos*, *& Conservator Ædium Ecclesiasticarum*, *Templorum*, *& Altarium*. *Item familiaris*, *& domesticus a Mansione. Multi de his erant in Ecclesia Romana*, *quorum major primus Mansionarius vocabatur. Unius horum*, *& ejusdem muneris meminit divus Gregorius in libris Dialogorum*, *cui nomen Theodorus &c.* (2). Sed vehementer Panvinius a Petro Moretto (3) arguitur; nam præter Ædes Ecclesiasticas, Templa, & Altaria, Custos quoque erat *supellectilium*, ac forsan *oblationum*. Et vero *Custodem Dominicalem Vestiarii Mansionarium* vocat Ordo Romanus a Mabillonio editus Tom. II. Musei Italici (4). Quoniam vero de Theodoro, qui Mansionarii munere fungebatur, mentio illata est, percommodum cadit, de hoc Viro sanctissimo rem plane mirabilem ejusdem Gregorii verbis enarrare. = *Adhuc supersunt aliqui* (ait beatus Pontifex), *qui Theodorum ejus Ecclesiæ* (S. Petri) *noverunt*. . . . . *Quod quadam nocte dum citius ad melioranda juxta januæ limina surrexisset*, *ex more ligneis gradibus sub lampade positus stabat*, *& lampadis refovebat lumen. Tunc repente beatus Petrus Apostolus in stola candida deorsum in pavimento constitit*, *eique dixit*, *Colliberte*, *quare tam citius surrexisti? Quo dicto ab oculis aspicientis evanuit* = (5). Vide sis igitur nostro Theodoro Mansionario, ut pensiles lampades concinnaret, ligneis gradibus, sive scala opus fuisse. Ipse Gregorius eodem munere accendendi lampades functum fuis-

Archidiaconi jussui in cunctis obediat. In Canonicis Horis signa tintinnabulorum pulsando, ipso Archidiacono jubente, ab eo pulsentur: pallia, vel lineamenta Altaris, seu cuncta utensilia Ecclesiæ indesinenter custodiat. Lampades, & lucernas in accendendo, seu extinguendo pervigil existat.

(2) *Opusc. Interpretat. Voc. Ecclesiasticar. &c.* Hæc eadem Panvinii verba refert Angelus Rocca in suo Commentario de Campanis apud Sallagren. *T. II. Cap. XIII. col.* 1272.

(3) *Rit. dandi Presbyter. Par. III. Sect. II. pag.* 205. *not. a.*

(4) Vid. ipsum Museum Italic. nec non quartum inter Ordines relatos n. 4. pag. 74. Ceterum quod spectat Mansionarios, in Ordine primo describitur, Clerus procedens ad Sacrarium cum Pontifice, ibique Tom. pariter secundo ejusdem Musei Italic. pag. 51. num. 15. hæc habentur — *Post Episcopos Presbyteri*, *inde Monachi*, *deinde de Schola*, *deinde omnes Præcessores*, *& Mansionarii.* Item de occursu Clericorum Ecclesiæ faciendo Pontifici pro Statione habenda accedenti, hæc præscribuntur — *Similiter Presbyter Tituli*, *vel Ecclesiæ. . . cum subdito sibi Presbytero*, *ac Mansionario thymiameteria deferentibus*, *in obsequium illius inclinato capite*, *dum venerit &c.*

(5) *Dialogor. lib.* 3. *Cap.* 24. *pag.* 220.

fuisse memorat S. Constantium Ecclesiæ S. Stephani Mansionarium Civitatis Anconæ (6). Postremo liceat orationem nostram complere monumento nimis præstanti, quod laudatus Mabillonius profert eodem Commentario p. XXIX. illudque ipsiusmet verbis exscribere = Extat, inquit, in tabula marmorea in Basilica S. Mariæ ad Præsepe vetus inscriptio tempore Gregorii IV. marmori incisa, compendio referens donationem eidem Basilicæ factam a Flavia filia Xantippi quondam Egisti imperialis a secretis in gratiam Mansionariorum, qui in eadem Ecclesia tunc degebant. Subscribunt inter alios *Theodorus* Adorator *numeri Theodosiæ*, *Georgius Optius numeri militum*, *Epiphanius aurifex*; *Theodorus acolythus* S. R. E. Tempus factæ donationis a breviatore omissum est. In his subscriptionibus *numerus* pro legione sumitur: atque adeo *Adorator* forte idem erit ac Tribunus, sive Comes, quæ conjectura est illustriss. Eiampini & Fabretti, quibuscum hanc inscriptionem eruditus atque optimus Pater Thomasius, priusquam eam ad nos trasmitteret, communicavit =. Hæc vir doctrina & eruditione præstantissimus. Sed piget hic immorari diutius, cum res satis per se nota sit, testata, & nimis manifesta.

CAP. XX.

Ex luminariis, seu luminaria, sic vulgo dicta, lampadum pensilium usus in Ecclesiis retentus, & continuatus ostenditur.

Cum nuper Conciliorum Sanctionibus, lampadum pensilium in Ecclesiis usum probare studuerimus, cumque in illis Luminariorum mentio crebra fiat, hinc occasionem nacti

(6) *Lib. I. Dialogor. Cap. 5.* De Mansionariis Basilicæ Vaticanæ multa disserit, & quidem ad rem nostram Vir Cl. Aloysius Martorellius ejusdem Basilicæ Canonicus & modo Cameræ, ut ajunt, Præses in suo pereruditо Opere -- *Storia del Clero Vaticano Cap. V.* Romæ typis edito 1792. Verumtamen adfirmare non dubitat Mabillonius Commentario in Ordinem Rom. T. 2. pag. XXVII. quod in Patriarchalibus adhibebantur, seu custodes Ecclesiarum ad eas ornandas emundandas, Lampades concinnandas, aliaque præstanda, quæ necessaria erant.

cti sumus vocabulum ipsum *luminariorum* explanandi, quod quidem varia significatione acceptum fuisse constat. Attamen id factum a nobis in transcursu, quantum res ipsa tunc postulabat. Nunc vero de iisdem *Luminariis* fusius, & data opera dicere aggredimur, sive de *luminaria*, vulgo sic nuncupata, quæ quantum pensilium lampadum usui adstruendo conducant, ex modo dicendis innotescet. Ergo Cl. Muratorius in suis *medii ævi antiquitatibus*, tam fuse, tamque solerter de *luminariis* edisserit, ut materiem totam hausisse jure, meritoque videatur. Principio operæ pretium est ipsius verba hic exscribere. = *Adhuc*, inquit, *luminariæ nomen in multis Italiæ Ecclesiis perdurat. Sunt autem plures Conciliorum Canones, quibus præcipitur luminarium impensa, atque in eam certa pars bonorum Ecclesiæ destinatur. In hanc rem digna omnino est, quæ legitur, Constitutio Aldrici Episcopi Cenomanensis, promulgata circiter annum* 811., *atque edita a Baluzio Tom.* 3. *pag.* 111. *Miscellaneorum. Decernit illa* = ut ardeat per cotidianas noctes in seniori (1) *Ecclesia luminaria de oleo a Vespere per totam noctem usque mane tria: & de cera quando tempus dictaverit una, & ad Nocturnum, sive Matutinas (noctu enim Canonici quoque ad divinas laudes canendas olim conveniebant) ardeant luminaria per cotidianas noctes de oleo decem, & de cera quinque, tria ante senius Altare, & quartum ante Altare sanctæ Trinitatis. In festivitatibus Sanctorum viginti, & in Dominicis omnibus noctibus constitutum est, ut amplius accendantur, & ardeant luminaria triginta de oleo, & quinque de cera, &c. In majoribus autem festivitatibus constitutum est, ut ardeant luminaria multiplicata, idest de oleo nonaginta, & de cera decem &c.* (2) Hæc ille, qui paucis interjectis subdit, olim homines plane scelestos, tam rabida, impiaque siti in loca sancta exarsisse, ut fundis, & qui-

(1) *Senioris* nomen in Galliis datum liquet Cathedrali, vel Ecclesiæ, quæ ceterarum foret matrix, vel major. Mabillonius *Tom.* 4. suorum Analector. in hanc rem chartam profert Pallacidi Episcopi Antisiodor. Insuper lib. 6. *de Re Diplomat. pag.* 465., aliam chartam prodit, in qua sic legitur --- *Reliquas duas partes ad lumen Ecclesiæ Senioris S. Stephani reservatas.* Apud Gregorium quoque Turonensem *Ecclesia Senior* occurrit, ut notat in suo Glossario Cangius, qui præterea *senius Altare* appellatum fuisse *primum*, sive *majus* pluribus exemplis demonstrat.

(2) *Dissert.* XLI. col. 724.

& quibuslibet bonis illa expoliaverint. Insuper id etiam contigisse narrat, ut ipsi interdum Ecclesiæ ministri eorumdem fundorum reditus in Luminaria expendendos, ad usum proprium converterent. Et sane eruitur hoc manifeste ex Capitularibus Caroli Magni, & ex formulis a Marculfo collectis, præcipue vero ex Capitulari Ludovici Pii an. 823. apud laudatum Baluzium. Is igitur monitos facit Episcopos in hæc verba = *Et sicut probibetis, ne de mansis ad Ecclesiæ luminaria datis Sacerdotes aliquid accipiant, sic & vos, & vestri Archidiaconi de eisdem mansis nihil accipiendo, aliis exemplum præeatis.* Porro improborum hominum de expoliandis fundorum possessione Ecclesiis ita efferbuit ardor, ut lampadum usus ab ipsis Ecclesiis omnino deperierit. Quare piorum Fidelium liberalitatem implorare opus fuit, animosque incendere ad hunc finem fovendi oleo lampades, quod sane in caussa fuit, ut aliquibus locis virorum, ac fœminarum institueretur Societas, sive Fraternitas, quæ nummorum summam ex piis largitionibus collectam in olei emptionem pro Luminariis erogaret (3). Denique in Capitulari Ludovici II. extat lex ab eodem Augusto edita, titulumque præfert de *Decimis*. In ea igitur persolvere decimas jubetur cuilibet Ecclesiæ hac inter ceteras caussa adducta, ut = *Et ipse Sacerdos, qui ibi ordinatus fuerit, ipsam decimam dispenset pro luminaria, sive pro eleemosynis* = Volventibus postea sæculis, invectam generatim, ac propagatam intuemur hanc consuetudinem, illamque præsertim XIV. sæculo, ac posterioribus viguisse declarant municipales Civitatum Italiæ leges, quæ Statutorum usque ad hodiernam diem nomen præseferunt (4). Prima igitur, quæ ibi occor-

(3) Idem Muratorius cit. loc. producit ex antiquo Codice Catalogum, ubi recensentur, qui instituta Fraternitate ministrandi caussa majori Mutinensium Templo luminaria sese vinculo obstrinxerunt, quod quidem contigisse narrat anno 980. præter propter. Exordium ejusdem Catalogi sic habet --- *In nomine Domini nostri Jesu Christi: Incipit* (sic) *nomina virorum ac mulierum, qui pro Dei timore, & Christi amore dederunt singuli denarium pro redemptione animarum suarum in Luminaria ad illuminandam Ecclesiam Dei, ut eorum animos illuminet Deus in sanctum Paradisum, & ipsi omni anno, Deo auxiliante, hoc facere similiter promittunt.*

(4) Murator. *Antiqnitat. Ital. T. III. pag.* 282. Vid. etiam Tiraboschium Stor. della Letteratura Ital. *T. IX. pag.* 3. & *seqq. Edition. Florent.* 1778.

currunt scita, & consulta ad Sancti Patroni Cultum attinent. In iis sane præscribitur modus, quo apparatu, & pompa sit dies festus concelebrandus. Jam vero inter cultus, ac pietatis significationes jubentur *luminaria* Ecclesiæ eodem die festo offerenda. Hanc profecto legem singulis in Civitatibus, ceterisque locis sartam, tectamque adhuc servari videmus (5). Nisi quod obtinuit jamdiu usus, ut hujusmodi *luminaria* incerta candelarum, ac cereorum oblatione consistat. Hæc de *Luminariis*, seu *Luminaria*. Sermonem nunc, si placet, alio transferamus.

C A P. XXI.

Ex fundis, aliisque bonis ad lampades Ecclesiarum oleo instruendas, earumdem lampadum pensilium usus comprobatur.

Dictum capite præcedenti, nummos e Fidelium liberalitate corrogatos, nec non fundos ad hunc finem Ecclesiis dono datos, ut horum reditibus lampades oleo instructæ in iisdem Ecclesiis lucerent. Nunc e re nostra judicamus de hujusmodi fundis, aliisque bonis dono concessis uberius, & latius edisserere. Primum igitur adeundus Anastasius Bibliothecarius, qui ditissimis recensitis muneribus, quibus Constantinus Imp. Romæ complures Ecclesias locupletavit, fundos enumerat, quos lampadibus oleo fovendis ipse dono dedit; & ad hunc modum rem enarrat in Vit. S. Sylvestri (1) = *Constituit in servitio luminum, idest Massam Catilianam in Territorio Seissano præstantem singulis annis solidos quadringentos, Massam Mioniciam in Territorio suprascripto præstantem solidos 340., Massam Autianam territorio Laurentino præstantem solidos quadringentos, Massam Urbanam territorio Autiano præstantem solidos ducentos quadraginta; Massam Castis territorio Cati-*

(1) Percurrantur ipsamet Civitatum Statuta de festo Sancti Præsidis, ac Patroni concelebrando; principio enim illud omni statuitur religione colendum, & inter ceteras res, *luminaria* praescribuntur.

(5) Pag. 146. *Edit. Murator. inter Scriptor. Rer. Italicar. T. III.*

Catinæ præstantem solidos mille; Massam Torpeum territorio Cassinensi præstantem solidos mille sexcentos, & quinquaginta (2). Præterea Agathonis PP. munificentia hac in re, & liberalitas sic extollitur = *Hic dimisit* (lege *divisit.*) *omni Clero, rogam unam, & ad luminaria Apostolorum, & SS. Mariæ ad Præsepe sol. duo millia centum, & quadraginta* (3) = Ibidem de Gregorio II. hæc habet idem Chirographus = *Dimisit omni Clero, Monasteriis, Diaconiæ, & Mansionariis solidos duo millia, & ad luminaria beati Petri Apostoli solidos mille* (4). Denique de S. Pontifice Zaccharia sic scribit = *Hic viginti auri libras pro emendo oleo annue, ut de lucro eorum in luminariis proficiat, instituit* (5) =. Sed quæ animum nostrum vehementius pulsant, & orationem uberiorem postulant, latifundia sunt, quibus S. Cregorius M. utramque Basilicam Ss. Apostolorum Petri, & Paulli ditasse pro luminibus fovendis perhibetur. Alibi, ubi Patrum auctoritate lampadum pensilium usus in sacris Christianorum Ædibus adstruebatur, nonnullis ex ipso Gregorio locis adductis leviter, & quasi præteriens notasse me memini, beatissimum Pontificem quosdam fundos Basilicæ S. Paulli legasse (6), quorum reditus pro luminaribus, sive lampadibus concinnandis insumerentur (7). Addendum modo ex Maphæo Vegio, Basilicæ

(2) Certam quoque olei quantitatem ab Imperatore piissimo assignatam alibi, ubi de oleo pro lampadibus adhibito disputabitur, ostendemus.

(3) Ibidem, de Roga quid fuerit, accipe. Igitur, ex quo Romani Imperii sedes in Oriente constituta fuit, omnes quarumcumque specierum Cesareae largitiones *Rogæ* dicebantur. Hinc a Rogarum usu emersisse *regalias* sapienter existimat Petrus Morettus in suo pererudito Opere *De Ritu dandi Presbyterium &c. pag.* 330.

(4) Ibid. pag. 158.

(5) Loc. cit. pag. 164.

(6) Vid. *Cap. XI. prop. fin.*

(7) *Lib.* 14. *Epist.* 14. haec scripta leguntur ad Felicem Subdiaconum Patrimonii Appiae Rectorem — *Cum ergo pro Ecclesia beati Pauli Apostoli sollicitudo debita nos commoneret, ne minus illic habere luminaria idem Præco fidei cerneretur, qui totum mundum lumine suæ prædicationis implevit, & valde incongruum esse, ac durissimum videretur, ut illa ei specialiter possessio non serviret, in qua palmam sumens Martyrii, capite est truncatus, ut vireret, utile judicamus eamdem Massam, quæ Aquas Salvias nuncupatur cum omnibus fundis suis, idest Cella vinaria, Antoniano, Villa Pertusa in Foro Primiano, Cassiano, Silonis, Cornelii Thessalata, atque Corneliano cum omni jure instructo, instrumentoque suo, & omnibus generaliter ad eam pertinentibus cum Christi gratia luminaribus deputare, adjicientes etiam eidem cessioni hortos duos inter Tyberim, & Porticum ipsius Ecclesiæ cunctibus in Porta Civitatis parte dextera, quos divi-*

licæ etiam S. Petri latifundia ad hunc finem ab eodem Pontifice assignata. Id quidem testatur ipse verbis sequentibus = *Beatus Gregorius ad instruenda abundantius Basilicæ S. Petri luminaria, multa prædia, multaque præsertim oliveta illi donavit &c.* (8). Cæterum liquet donaria, quæ a Gregorio utrique Basilicæ collata dicuntur duobus marmoreis lapidibus sive tabulis insculpta fuisse ad memoriam posterorum sempiternam. Harum prima parieti infixa Basilicæ S. Pauli ob oculos versatur, qualis in apographo apposita videre est; altera vero ad Porticum extat Basilicæ S. Petri eodem situ, & modo collocata. Prima itaque sic habet.

✠ *Gregorius Episc. Servus Servorum Dī. Felici Subdiac. & Rectori. Patrimonii Appiæ.*

Licet omnia quæ hæc Apostolica habet Ecclesia Beatorum Petri ac Pauli quorum honore & beneficiis adquisita sunt

Dō sint auctore communia. Esse tamen debet in amministratione actionum diversitas personarum ut in adsignatis cuique

rebus cura adhiberi possit impensior. Cum igitur pro Ecclesia beati Pauli Apostoli sollicitudo nos debita commone

ret ne minus illic habere luminaria isdem Præco fidei cerneretur qui totum.

dividit. fluvius Almon inter affines Monasterii S. Stephani, quod est Ancillarum Dei, positum ad Sanctam Paulum, & affines possessionis Pastiniani, simul & terrulas, quæ vocantur fossa latronis, positas ibidem juxta eandem porticum euntibus similiter parte sinistra ad portam, ubi nunc vineæ factæ sunt, quæ terrulæ cohærent ab uno latere possessioni Euganeis quondam Scholastici, & ab alia parte possessionibus Monasterii S. Eusebii, quæ omnia, Deo adjuvante, per antedictæ Ecclesiæ Præpositos, qui pro tempore fuerint, & a præsenti septima Indictione volumus ordinari. Et quidquid deinde accesserit, luminaribus ejus impendi, atque ipsos ponere rationes. Idcirco experientiæ tuæ præcipimus, ut suprascriptam Massam Aquas Salvias cum prænominatis omnibus fundis suis, nec non hortos, atque terrulas, quæ superius continentur, de brevibus suis delere debeas, ac auferre, & cunctæ ad normam prædictæ Ecclesiæ beati Pauli Apostoli tradere, quatenus servientes ibi Præpositi, omni posthac carentes excusatione, valeant de luminaribus ejus sine nostro studio, & solicitudine cogitare, ut nullus unquam illic neglectus possit existere. Facta vero suprascriptarum omnium rerum traditione, volumus, ut hoc præceptum in Scrinio Ecclesiæ nostræ experientia tua restituat --- Placuit Epistolam totam exscribere, ex qua luculenter colligitur, SS. Pontificem Basilicæ S. Pauli pro lampadibus oleo fovendis, fundos, qui hac in Epistola recensent r, revera assignasse.

(8) Vid. Scriptores Rer. Italicar. Muratorii T.III., ubi opus ejusdem Vegii profertur. *De Rebus antiquis memorabilibus Basilicæ S. Petri Romæ inscriptum.*

totum mundum lumine prædicationis implevit & val
de incongruum ac esse durissimum videretur ut illa ei specialiter possessio non serviret in qua palmam sumens Marty
rii capite est truncatus ut viveret utile judicavimus eandem Massam, quæ Aquas Salvias (sic) nuncupatur cum omnibus
fundis suis idest. cella vinaria. Antoniano. Villa pertusa. Bifurco. Priminiano. Cassiano. Silonis. Corneli.
Tersellata. atque Corneliano cum omni jure instructo instrumentoque suo & omnibus generaliter ad eam
pertinentibus ejus cum XPI gratia luminaribus deputare adicientes etiam eidem cessioni hortos duo po
sitos inter Tiberim & Porticus ipsius Ecclesiæ euntibus a Porta Civitatis parte dextra quos dividit fluvius
Almon inter Adfines horti Monasterii sci Stephani quod est AncillarumDi positum ad scm̃ Paulum & ad
fines possessionis Pisiniani simul & Terrulas quæ vocantur fossa latronis positas. Idem juxta ean
dem Porticum euntibus similiter a Porta parte sinistra ubi nunc vineæ factæ sunt quæ Terrulæ co
(sic) ꟻaerent ab uno latere possessioni Eugenitis qd scolastici & ab alia parte possessioni Monast. Sci Aristi quæ
omnia quoniam Dō adjuvante per antedictae Ecclesiae Præpositos qui per tempora fuerint a præsenti sep
tima Indictione volumus Ordinari & quidquid exinde accesserit luminaribus ejus inpendiat quæ ipsos exin
de ponere rationes idcirco experientiæ tuæ præcipimus ut suprascriptam Massam Aquas Salvias cum præ
nominatis omnibus fundis suis nec non hortus atque Terrulas quæ superius continentur de Brevibus suis delere debe
at ac auferre & cuncta ad nomen prædictæ Ecclesiæ beati Pauli Apostoli tradere quatenus servientes ibi præpositi
omni post hoc carentes excusatione de luminaribus ejus ita sine nostra studeant sollicitudine cogitare ut nullus il
lic unquam neglectus possit existere facta vero suprascriptarum omnium rerum volumus ut hoc præ
ceptum in scrinio Ecclesiæ nostræ experientia tua restituat benevale
Dat. VIII Kal. Februarias Imp. Dn N Fhoca (sic) PP. Aug. anno secundo & Consolatus (sic) ejus anno primo Ind. septima

Altera vero tenoris est hujusmodi.

✠ *Dominis scis ac beatiss Petro & Paulo Apostolorum Principibus Gregorius indignus Servus.*

Quotiens laudi vestræ usibus servitura quedam licet Parba (sic) *conquirimus vestra vobis reddimus non nostra largimur*

Ut hæc agentes non simus elati de munere set de solutione securi nam quid unquam sine vobis nostrum est.

Qui non possumus accepta reddere, nisi quia per vos iterum & ipsum hoc ut redderemus accepimus. unde ego vester

Servus reducens ad animum multum me vobis beati Apostoli Petre, & Paule esse devitorem propter quod ab Uveribus

Matris meæ divinæ potentiæ gratia protegente intro gremium Ecclesiæ vestræ aluistis & ad incrementum

per singulos gradus usque ad summum apicem Sacerdotii licet immeritum producere estis dignati. ideoque

hoc privilegii munusculum humili interim offerre devotione prævidi. statuo enim & a meis successoribus

servandum sine aliqua refragatione constituo. ut loca vel prædia cum olibetis qui inferius describuntur.

quos pro concinnatione luminariorum vestrorum a diversis quibus detenebantur recolligens vestra vobis dicavi

immutilata permanere idest in patrimonio Appiæ Mass Victoriolas Olibetu in Fund. Rumelliano in integro

Olibetu in fund Octabiano in integro. Mass Trabatiana Olibet. in fund Burreiano ut sp ~~*olibet in fund Oppiano Ut sp*~~

Olibetu in fund. Juliano in integro Olibet. in fund. Viviano ut sup. Olibet. in fund. Cattia. . . .

V. . . .

Olibet. in fund. Solificiano ut sp. Olibet. in fund. Palmis ut sup. Olibet. in fund. Sagaris V. . . .

Olibet. in fund. Marano. ut sup. Olibet. in fund. Juliano ut sp. Olibet. in fund. Sarturian. ut sp.

Olibet. in fund. Caniano & Carbonaria ut sup. Mass. Cesariana Oli-

o

bet. in fund. Floran ut

sup

Olibet. in fund. Prisciano & Grassiano ut sup. Olibet. in fund. Pa-

scu-

scutano ut sp. Olibet. in fundo
Variniano ut sup. Olibet. in fundo Cesariano ut sp. Mass Pontiano
Olibet. in fund. Pontiano ut sp.
Olibet in fund. Casaromaniana ut sp. Olibet. in fundo Tattiano ut sp. Olibet. in fund. Casafiorana ut sp
Mass Steiana Olibet in fund. Barrano ut sp. Olibet in fundo Caccl
o
ano ut sp. Olibet in fund. Pontian ut sp
Olibet in fund. Aquiliano ut sp. Olibet in fund. Steiano ut sp. Olibet in fund. Cassis ut sp. Mass Reviana
Olibet. in fund. Arcipiana ut sp. Olibet. in fund. Cornelliano ut sp. Olibet. in fund Ursano ut super.
In Patrimonio Labicanens. Mass. Algisia olibet qui est ad Tufu juxta Anagnias in integro.
Olibet qui est in Silbula & Modicas talias Catagemmulum A9. Milit. Olibet. Inaplineas in integro.
Olibet. qui est in Claviano Olibet. quem tenet Franculus colonus in fund. Ordiniano in integro.

(9). Igitur duobus hisce lapidibus colligere licet pios, largosque proventus, quibus utramque Basilicam lampadibus concinnandis Gregorius noster liberalissime ditavit. Præterea ab Johanne Diacono discimus, ipsam ab eo datam Felici Subdiacono Epistolam, Tabulæ marmoreæ consignatam fuisse, nec non Basilicæ S. Paulli affixam. Denique testatur vir Cl. Jo. Baptista Galliciolius in sua nuperrima Operum S. Pontificis editione, eamdem Tabulam hodiedum superstitem cerni, eamque paucis ab hinc annis in alium ejusdem Basilicæ situm exportatam (10). Sed apposite hic percontari libet, num duo hæc Epigrammata, sive Inscriptiones ipsius S. Pontificis revera fœtus sint, eique prorsus adscribendæ? De prima idem Galliciolius minime ambigendum putat, multisque suum perse-

qui-

(9) Hanc ipsam Inscriptionem edidit Angelus Rocca. Vid. ipsius *Schol. in S. Gregori Magni, ejusque Parentum imagines, Reliquias, Vitam &c. Romæ* 1597.

(10) *Tom. XVI. Oper. S. Greg. pag.* 214. *& seqq. Edit. Ven.* 1786.

quitur argumentum (11). Super omnia; in hanc curam totus intendit, ut veterum Scriptorum exemplis illam vindicet a mendis, quibus ad omne fere verbum scatet contra Grammaticæ leges. De altera vero Inscriptione Galliciolius ipse Vegii testimonio nos acquiescere jubet, qui de donariis Basilicæ S. Petri pro lampadum concinnatione elargitis distinctius agens, in hæc verba concludit = *Sicut constat publicis monumentis inscriptis Tabulis marmoreis* (12) = Egò vero de duabus hisce Tabulis quid sentiam, enunciabo. Ut a prima exordiamur, plane inficiari nequit Galliciolius postrema illa verba = *Benevale* in Cregorii Epistola ad *Felicem* omnino desiderari, quemadmodum omissa cernitur Phocæ imperii, ejusque Consulatus indicatio; propterea que idem Galliciolius fatetur, posterioris manus esse additamentum. Quid igitur? Dicerem inscriptionem, cujus meminit Johannes Diaconus, penitus periisse, eam vero, quæ modo visitur, ab rudi, & imperito homine consarcinatam. Quod vero Tabulam alteram pertinet, Vegius quidem donaria commemorat, quibus pietas Fidelium Basilicam S. Petri prosecuta est pro lampadibus concinnandis. Sed unde arguas Inscriptionem in Porticu Basilicæ parieti insculptam, ab ipso Gregorio elucubratam? Verum quid plura loquar? Aloysius Gallettius in collectione vel Sylloge Inscriptionum Romanarum infimi ævi sine ulla dubitatione illam Gregorio PP. II. adjudicat (13). Ut modo oratio progrediatur, narrat Panvinius in suo opere, quod de rebus memorabilibus, & præstantia Basilicæ S. Petri inscripsit, & in ejusdem Basilicæ Bibliotheca adservatur, percelebrem Comitissam Mathildem, licet effusissimam pietatem suam in Apostolorum Principem tanta munerum copia declarasset, hanc ipsam pietatem amplissimis donis pro lampadibus concinnandis ad immortalitatem consecrasse = *Mathilda*, inquit, *sanctitate celebris tanti Basilicam S. Petri fecit, ut quo luminaribus adbibitis magis decoraretur, debitam*

bitam

(11) *Ibid. Vid. etiam citat.* Tom. III. *Scriptor. Rer. Italic.*

(12) *Ubi de Maphæo Vegio &c.*

(13) *Inscript. Rom. infim. ævi Romæ extant. T. I. pag. XI.*

bitam ei dotem donavit patrimonium suum, idest Liguriæ, & Hetruriæ præcipuas partes cum omnibus Oppidis, ac eorumdem juribus (14). Hæc Panvinius. Platina vero ipsius religiosissimæ fœminæ munificentiam hac in donatione largius excurrisse contendit, quippe qui in Paschalis II. PP. vita ad hunc modum suam narrationem adornat = *Hoc tempore Mathilda Comitissa, admodum senio confecta moritur. Romanæ Ecclesiæ testamento reliquit quidquid a Pissia amne, & sancto Quirico agri Sanensis usque ad Ceperanum inter Apenninum, & mare pertinet addita Ferraria, quæ adhuc Romanæ Ecclesiæ vectigalis est* (15). Sed Platinæ subirascitur laudatus Galliciolius, totisque viribus probare conatur, Ferrariam longe prius in Ecclesiæ dominatum transisse (16). Infinitus plane sim, si donaria, & oblationes Ecclesiis omni tempore hac de re porrectis, velim enumerare. Nemo sequioris ætatis antiquitatum studiosus ignorat, earumdem Ecclesiarum tabularia chartis ad id pertinentibus redundare. Præcipue usu, quæso, veniat mos ubique receptus de oblationibus, quæ Ecclesiis, & Altaribus fiebant valde communi, & percelebri formula = *Pro remedio animæ suæ* =. Ibi pro lampadibus apponendis, vel ipsis oleo instruendis, bona delegata sæpissime occurrunt. Hac de re locuples testis est vetus Epigramma, sive Inscriptio, quam primus in lucem edidit Vir antiquitatis scientia excultissimus Raphael Fabretius, eamque Nepete extare adfirmat (17). Ea itaque sic habet.

✠DE-

(14) *Lib. 5. ejusdem Oper.*
(15) *Vid. Paschal. PP. II. Vit.*
(16) *Cit. Tom. Oper. S. Gregor. pag.* 217.
(17) *Inscription. Antiquar. Cap. III. pag.* 192. Cl. Blanchinius Praefat. in Vitas Romanor. Pontific. Anastasio Bibliothecario attributas &c. profert hoc idem Epigramma, sive Inscriptionem, aliqua tamen varietate permixtam, cui cum nonnulla scitu digna praemittat, idcirco praestat haec cum eadem Inscriptione referre — *Demum, ait, & in dote attributa, ædi sacræ, occasione sepulcri ad oblationes & luminaria Boetius depositus octavo Kal. Novembr. Indict. XII. & Tiberio Constantino Cæsare an. IIII. qui sunt characteres anni æræ Christi vulgaris* 577. (*& Mater ejus Argentea*) *assignant prædia, & insculpunt marmori posito in Sacrario S. Angeli in Burgo &c.* Mox ipsam Inscriptionem producit cujus tenor est hujusmodi

✠DE-

✠DEPVTAVI
MVS IN ISTA SE
PVLTVRA NOSTRA
EXTM PAGINM ADO
BLATIONE VEL LVMI
NARIA NOSTRA ORTI
TRANSTIBERINI VNCI
ASSEX FORIS MVROS IV
XTA PORTA PORTVEN
SE QVOD FUIT EX IVRE
QD MICINI CANCEL
INL VRBS PD PA
TRIS MEH

Equidem liquet plano sensu prima verba fluere, quibus pro luminariis, seu lampadibus alendis horti Transtyberini unciæ sex Ecclesiæ ex testamento legantur. Prima, inquam, verba pellucida sunt, atque perspicua, nulloque opus habent interpretamento. Non ita vero postrema, quæ crucem quodammodo figunt, & ad hariolandum posita videntur. Accedit quod Inscriptionis Auctor plebeja utitur latinitate, & contra Grammaticæ regulas semel, & iterum peccat. Agedum ergo, ipse quidem sic explicandam

✠ DEPVTAVI
MVS IN ISTA SE
PVLTVRA NOSTRA
EXTM PAGINM ADO
OBLATIONE VEL LVMINARIA
NOSTRI ORTI
TRAS TYBERINO VNCI
AS SEX FORIS MVROS IV
XTA PORTA PORTVEN
SE QVOD FVIT
. . . . QD MICINI CAMEL
INL VRBS . P. D. PA
TRE.

dam existimo, recte ne, an perperam aliorum sit judicium = *Deputavimus in ista sepultura nostra ex testamento paginam oblatione, vel luminaria nostra orti Transtiberini uncias sex foris muros juxta porta Portuense, quod fuit ex jure quondam Nicini Cancellarii illustris viri. . . . . . . Patris mei* = . Porro siglæ, seu notæ compendiariæ *BSPD*, ut mihi extricentur, enixe rogo, nec pudet me illud repetere, *Davus sum non Œdipus*. Denique illud animadvertisse juvat, *Cancellarii* nomen apud Cassiodorum occurrere (18). Secundo loco, litteram *H*, sive *Ita* græcam pro *I* seu *Jota* hic usurpatam contuemur. Jam vero probe norunt Eruditi Justini II., nec non Tiberii Imperatorum ætate, litteræ *I* suffectam *H.*, atque ut *H. I.* pronunciatam. Ut tamen res habeat sese, constat quam certissime, sex uncias horti trans Tyberim Ecclesiæ attributas, quarum proventus concinnandis luminariis, sive lampadibus impenderetur ejusdem Ecclesiæ, in qua testatores ipsi sepulturam sibi delegerant.

C A P. XXII.

Recitantur integra Maphæi Vegii verba, quibus dona recenset tabulis marmoreis inscripta, quæ quidem pro lampadibus concinnandis Basilicæ S. Petri elargita fuerunt; nec non Scriptorum afferuntur testimonia, qui numerum referunt lampadum suo ævo in Basilica, & ante Principis Apostolorum collucentium confessionem.

Cum capite superiori Maphæi Vegii auctoritatem adduxerimus circa marmoreas tabulas in porticu Basilicæ S. Petri parieti infixas, quibus constare ipse testatur, fundos, & id genus bona eidem Basilicæ pro concinnandis lampadibus dono data, hinc optimum facto videtur, integra hujus Scriptoris verba singillatim referre. Ubi ergo de Hormisda PP. narravit, Basilicæ S. Petri *trabem argenteam pondo MXI.*

(18) *Variar. lib. XI.*

MXI. librarum excellentius longe donum dedisse ; item prætermittendus non est, inquit, *beatus Gregorius, qui ad instruenda abundantius Basilicæ ipsius luminaria, multa prædia, multaque præsertim oliveta illi donavit, sicut constat ex publico documento inscripto tabulis marmoreis, quæ cum primo septem essent, nunc duæ tantum adhuc affixæ sunt, muro ante ingressum ejusdem &c.* (1). Sane dicendum ipsius Vegii ætate rumorem per ora hominum volitasse, quod septem olim tabulæ in eadem Basilicæ Porticu cernerentur, quibus insculpta fundorum nomina extarent; unde pronum est inferre, demptis quinque tabulis, in duabus tantum eorumdem fundorum nomina inclusa fuisse. Præterea ambigi nequit, duabus hisce tabulis exsculptam Vegii ipsius ævo Epigraphen, sive Inscriptionem, quam superius produximus. Postremo super omnia patet error, quod illa Gregorio I. PP. adjudicaverit. Ut ut tamen sit, talis tantaque olei vis, quae quotannis e tot olivetis trahebatur, argumento est, lampades valde copiosas ipso oleo fuisse enutritas, quæ ante Principis Apostolorum confessionem diu, noctuq. lucerent. In hoc dumtaxat reprehendendus praefatus Galliciolius, qui fundorum, quos tabulis marmoreis descriptos memorat Vegius, Gregorium PP. II. extitisse, ait, benefactorem egregium. Verum enimvero negari nequit, insecutis temporibus lampadum numerum olei quantitati ex iisdem olivetis derivatæ nequaquam respondisse. Petrus enim Mallius, qui Alexandri PP. III. tempore floruit, eique suum opus inscripsit (2) de luminariis agens in Basilica S. Petri coruscantibus, hæc posterorum memoriæ reliquit (3). = *Ad luminaria ante Altare B. Pe-*

(1) Vid. Acta Bollandian. *T. VIII. Junii pag. 72. & seqq.* Vegius autem opus suum edidit 4 libris distinctum an. 1407. Septem quoque numerat Ciampinius ex Alpharano, qui duas viderat Tabulas suo aevo superstites.

(2) Inscriptio Operis Petri Mallii est hujusmodi --- *Historia Sacra Basilicæ antiquæ S. Petri Apostoli in Vaticano*, ipsumq. eidem Pontifici Alexandro III. nuncupavit.

(3) Hic pe commodum cadit, caussam de tot lampadibus in Basilica Principis Apostolorum ardentibus enunciare, quam affert Noster Auctor sui Operis cap.13. --- *Hec, ait, divi Petri Basilica omnium Ecclesiarum est caput, & speculum, nam a beato Petro fidei lumen sumpsit omnis Ecclesia, fuit enim, ut dixit beatus Gregorius in Moralibus, Christi resurrectionis primus prædicator; decet namque beatum Petrum præsentis Ecclesie Principem in orbe, tanquam totius mundi dominum venerari, & ibi sacrosanctæ fundamentum Ecclesiæ esse, ut erat mundanæ Monarchiæ Principatus, & ubi mundani*

B. Petri octo lampades. In corpore totidem diu noctuque. In Virga ante pectoralia tres lampades. In unoquoque Capitulo, idest in unaquaque corona una Candela per totam noctem accendatur, donec Missa finiatur, quæ nimirum Capitula sunt ad minus XXXIV. usque ad Crucifixos; omnes igitur lampades ab Altari Beati Petri usque ad Crucifixum sunt quinquaginta omni nocte (4). Nisi quod, ab eo tempore earumdem lampadum copiam longe satis excrevisse fidem indubiam faciunt sequentium sæculorum monumenta. Ut unum seligam, Cl. Baluzius narrationem prodit Scriptoris Anonymi, qui vitam Gregorii XI. literis consignavit. Is igitur declarata temporis epocha, quo Summus Pontifex, Avenionensi sede relicta, solemni pompa & apparatu Romam ingressus est, quod quidem contigisse ait die Sabbati 17. *Januarii*, 1377. sic effatur = *Et sic equitando dictus Dns Papa per Romam pontificaliter venit ad Sanctum Petrum cum maxima multitudine populi, & erat quasi hora Vesperarum, & etiam alia maxima multitudo Romanorum expectabat eum in platea S. Petri cum magnis cereis illuminatis in maxima quantitate, & etiam omnes lampades Ecclesiæ S. Petri, quæ erant in numero, ut dicitur, quasi octodecim millium* (5). Viden quantum ea tempestate se portenderit lampadum usus in Principis Apostolorum Basilica? Nostro tamen ævo

ni erroris major excrevetat numerus, ibi Christianæ salutis potior inveniretur medicina, & ut divus Theodoretus Cyrensis Episcopus in Epistola ad Leonem Papam --- Sepulcra Apostolorum totum illuminent mundum. ---

(4) Consule cit. *T.VII. Junii act. Bollandianor.*, ubi totum opus exscribitur Cap. *VII. pag.* 48. *n.* 12. Eadem quoque habentur in Historia Romani ipsius Basilicae Canonici, qui Callixti PP. III. tempore vixit. Hinc suborta suspicione doctissimo Janningo, num Commentarius hic de S. Petri Basilica, foetusne fuerit Petri Mallii, an potius Romani, literas hac de re dedit Justo Fontaninio, tunc Romae Bibliothecae Imperialis, ut ajunt, Curatori, qui sequentibus verbis ad eum respondit —. *Vix dum postremam Epistolam ad te miseram, cum incidi in exemplar Canonici Romani de Basilica Vaticana, quod olim fuerat Felicis Contelorii scriptis editis satis conspicui. Is autem in fronte Libri (quem nunc possidet D. Martorellius celebris hac in Urbe Jurisconsultus) hæc manu sua adnotaverat. Hic Liber non est Romani, sed Petri Mallii.* Ceterum Janningus ipse Contelorii, & Fontanini auctoritati acquiescere renuit; propterea que in eam descendit opinionem, Historiam a Petro Mallio conscriptam, a Romano postea ejusdem Basilicae Canonico interpolatam fuisse. Postremo illud non omittendum, Romae anno 1646. a Paulo de Angelis typis editam --- *Descriptionem Basilicæ veteris Vaticanæ, auctore Romano ejusdem Basilicæ Canonico. cum Notis &c.*

(5) *Vit. Papar. Avenionens. Tom. I. pag.* 455. *Paris.* 1693.

non deferbuit hoc pietatis studium; liquet enim, hoc tempore ob Pontificum, aliorumque piorum virorum erga Principem Apostolorum obsequium uberem lampadum numerum illius sepulcrum circumambire; nam centum ac decem lumina ardent extra Confessionem, intra vero undecim alia in argenteis thecis, æreis auratisque Copiæcornibus insertis, prout ad eandem Confessionem precaturus accedens, primo obtutu unusquisque deprehendit.

CAP. XXIII.

De multiplici veterum lampadum forma, & figuratione.

Actum usque dum de lampadum in sacris Christianorum Ædibus origine, & usu. Ut cetera suscepto ordine persequar, modo de illarum forma, & figura tractationem instituam. Usu igitur veniat in primis ab Anastasio Bibliothecario, vel Auctore, quisquis fuerit, Libri Pontificalis (1) lampades, quibus Romani Pontifices Ecclesias Romæ condonarunt, variis nominibus appellatas (2). Hinc ab ipsa nominum diversitate, elicitur multiformes fuisse, easque designatione, ac forma inter se variasse; ita ut singulæ nomen distinctum, ac peculiare inde fuerint adeptæ, quæ formæ nimirum diversitate ab aliis discreparent. Et sane exprimi ab eodem Anastasio videmus *Phara*, & *Phara Canthara*. Item *Canthara* ἁπλῶς, *seu* simpliciter, *Gabbathas*, *Butrones*, *Canistros*, *Retia*, *Coronas*, *Cerostatas*, *Lampades* sic dictas, *Calices*, & *Turres*; ex quo aperte patet, discrimen inter illas ob diversam configurationem intercessisse. Age ergo de singulis hisce lampadum generibus, ut nostri instituti ratio postulat, disputationem modo aggrediamur, singularum iconographiam spectandam suo loco exhibentes. A *Pharis* primo exordium.

De

(1) Non me latet, trasversos agi Eruditos de Auctore libri Pontificalis, seu de Vitis Roman. Pontificum. Valserus quidam una cum Bellarmino, & Panvinio illum Anastasio tribuunt; contra vero Baronius, & Holstenius, quem sequuntur Emmanuel a Schelestrate, & Blanchinius id perfracte negant; Præsertim vero idem Holstenius ex diversitate styli colligit, ultimam Libri Pontificalis partem a diversis Auctoribus conscriptam fuisse, ideoque uni Anastasio tribui non posse, nisi vitam Nicolai PP. I.

(2) Vide hujus Operis Cap. XV.

Cl. Vignolius, qui Pontificalem librum in lucem edidit, illumque crebris, & eruditis commentationibus illustravit, (3) hoc inter alia præcipue sibi sumpsit, ut perobscura, & incognita lampadum, quæ ibi enunciantur nomina, explanaret. De *Pharis* igitur, ac *Pharis Cantharis* accipe, quod de nominis originatione ipse scribit = *Phara Canthara*, inquit, *lampadaria, seu candelabra a Pharo maris Ægyptii insula, in cujus Phari sinu, lampas pro navigantibus noctu accensa, & a Canthara propter hujus formam, quam illa referebat, dicta* (4). Eadem quoque tradit in suo Hierolexico Dominicus Macrius, cujus verba non vacat referre (5). Cangius vero *Phari*, & *Phari Canthari* definitionem per haec verba statuit = *Lucerna, sive lychnuchus orbicularis, & circularis cum certo lucernarum, aut candelarum numero, cuiusmodi in templis nostris visuntur, sic dictus, quod instar Phari sit, ejusque speciem referat &c.* = Doctissimus tamen Socius Bolandianus Janningus rem, & originem altius repetendam existimat. Φαρὸς *enim*, ait, *apud Stephanum Byzantinum* ἐςὶ νῆσος πρὸς τῇ Ἀλεξανδρίᾳ ἐφ᾽ ἧ Σωςράτε Δεξιφανᾶς πυργος ὁμωνυμως λεγόμενος φάρα = *Insula est prope Alexandriam, in qua Sostrati Dexiphanes filii turris nomine Pharus appellata. Usus hujus turris, ut scribit Plinius lib. 3. cap. 12., fuit nocturno navium cursui ignes ostendere ad prænuntianda vada, portusque introitum. Istius exemplo, eumdemque in usum deinde aliis in portubus ædificatæ fuerunt turres istius modi Italis passim dicta lanterna corrupta voce latina, quia nempe impositæ summæ turri laternæ, ignem conservant, ne ventorum flatu dissipetur, aut extinguatur. Hinc porro lychnuchi, qui passim in Ecclesiis Catholicorum cernuntur, non unius formæ multo cereorum, lucernarum, lampadumque numero instructi, quia lumina, non secus quæ illæ turres eminus conspicienda præbent, ipsi quoque appellantur Phari* = Hæc laudatus Agiographus Antuerpiensis (6). Jam vero

(3) *T. III. p. 361.* ponit interpretationem Onuphrii Panvinii vocum Ecclesiasticarum, quæ obscuræ, vel barbaræ videntur, ubi ad vocem *Pharum.*

(4) *T. II. ejusd. lib. Pontif. pag. 389.*

(5) *Notizia de' Vocaboli Ecclesiast. &c. pag. 352. Edit. Venet. 1675.*

(6) *Tom. VII. Junii Commentar. de Basilica S. Petri Apostol. Princip. antiqua &c. §. IX. pag. 129., & seqq.*

vero his de ethymo, & origine *Phari* in medium adductis, placet ipsius delineationem ob oculos ponere; unde ejus forma, & figura percipiatur. Hanc nobis exhibet prænominatus Macrius (*Fig.* V.). Profecto si eam recte aspicias, cum iis, quæ supra de illius notione exposita sunt, adamussim convenire reperies. Hac ergo forma concludendum est, lampades olim constitisse, quibus *Pharorum* nomen jure, meritoque concessum. Præterea silentio haud obtegendum, quod monet Papias, *Phara* videlicet, *esse instrumenta, quæ ad emittendum lumen oleo, vel candelis instruebantur* = *Est instrumentum* (sunt ipsius verba) *ad luminaria ordinanda, sicut etiam candelas* = & alibi = *Phara*, inquit, *sunt vasa luminaria, quæ nos retia dicimus diverso modo formata* =. E quibus verbis arguit idem Janningus, diversas fuisse *Pharorum* formas, diversosque pariter illuminandi modos, nempe per lampades oleo nutritas, & per candelas sevo, cera, aliave materia consimili ardentes. Et vero quoad varios illuminandi modos minime repugno; candelas enim *in Pharis* luxisse Papias ipse testatur apertissime, & luxisse in eis lampades luculenter insinuat, quippe qui *vasa nominat luminatoria*; præterea candelas *Pharis* imponi solitas discimus ab Anastasio; is enim in Vita Adriani = *Fecit & Pharum*, ait, *majorem in eadem B. Petri Ecclesia in typum Crucis, qui pendet ante Præsbyterium, habentem candelas mille trecentas, & septuaginta* = Igitur de variis per *Phara* illuminandi modis nullam litem moveo, imo ipsius Janningi sententiæ utroque pollice subscribo. Id ei ~~concedere nullo pacto posse mihi vid~~eor, de forma *Pharorum* diversa. Autumat ille omnes & singulas lampades, tametsi nomen peculiare eis foret, attamen in se *Phara* fuisse, & ex diversa designatione nomen proprium accepisse. Sed, quæso te, cur Anastasius *Phara* cum alterius nominis lampade jungit ex. gr. cum *Cantharis*, & modo *Canthara* sola sine *Pharis* nominat? Nonne intelligere ex eo datur, discrimen inter Pharum, & Cantharum intercessisse, ptoptereaque lampades, quas Anastasius ipse vel separatim, vel conjunctim cum *Pharis* nominat ab iisdem *Pharis* penitus discrepasse? Ad summam, si dixeris, omnes & singulas lampades, cum aliquid cavi in se habeant

(quod

(quod quidem corpus vocant) cumque lampas, cui nomen *Pharum*, in vaso cavo fere tota consistat, ut cernere est in schemate superius allato; hinc non repugnabo, ceteras quascumque lampades posse ob hanc rationem *Phara* appellari. Ut ut sit, de *Pharis* usque adhuc. Nunc de *Pharis Cantharis* agendum. Sed prius de *Cantharis* ipsis facienda pervestigatio, quæ paulo post instituetur. Id unum nosse modo sufficiat, *Phara Canthara* appellatas fuisse lampades illas, quæ utriusque generis lampadum formam referrent. Denique, præter Anastasium, constat, apud alios Scriptores de *Pharis* mentionem occurrere. Unum ex eis locum ad exemplum recitare perplacet. Igitur in Vita S. Benedicti Abbatis Avianensis hæc apud Mabillonium habentur = *Ubi pendebat in Ecclesia Pharus, in cujus vasculo, aut potius vasculis permodicum erat oleum, qua tamen vascula in crastino plena reperta sunt* (7) =. Pro coronide aliquid dicendum de ipsius nominis declinatione. Igitur penes medii ævi Scriptores *Phari* nomen desinit tam in *um*, quam in *us*. Insuper terminatio ipsa in *us* est non tantum generis masculini, verum etiam fœminini, unde nominata invenitur *Pharus Alexandrina* (8).

De

(7) *Sec. IX. Annal. Benedict. pag.* 106.

(8) Fœminino quoque genere *Pharus* declinatur a Statio versu sequenti

Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula lunæ.

Hic addendum ex eodem Vignolio ad calcem Tomi III. pag. 361., quod --- Hegesippus *lib.* 3. tradit, a Grecis, Latinisque *Pharon* appellari ex ipsius rei usu, eo quod longe videatur a navigantibus, atque ἀπό τοῦ φανυ, quod significat lucidum, & immutata littera *Pharos* dicitur. Hinc hodie triremium lanternæ *fanones*, & *fanales* vocantur, & *turres* in portubus Neapolitano, Messinensi, & Genuensi lumina nocturna sustinentes *Phari* dicuntur. Denique Ecclesiastici Scriptores hac voce suggestus aureos, & argenteos in modum turrium, vel columnarum vocabant, quibus æneum erat certum lychnicorum genus, quod *Delphinum* vocabant. Ita enim scribitur --- *Fecit Pharum unum cum X. Delphinis. Pharum* porro etiam *coronam* vocabant, forte quod rotundus esset. *Fecit*, inquit Bibliothecarius, *Coronam*, idest *Pharum cambarum* cum Delphinis quatuor oleo ardentibus, ubi illud animadversione dignum, quod quanquam idem esse lychnuchum, & Delphinum videatur ..... nonnihil tamen inter se differre opus fuit; nam *Delphini* ardentes cum *Pharis Cantharis*, vel cum *Coronis* conjunguntur; *lychnuchi* vero cum *lucernis*. Sed de *Delphinis* latius alibi.

De Cantharis.

Ipsa suscepti ordinis ratio postulat, ut Phari figura, & forma constituta, ad *Cantharum*, aliud genus lampadis, quod Pharo ipsi aliquando côpulatur, nostra se vertat oratio. Ut altius rem petamus, testatur Papias, nominis ethymon a græca voce derivare, quod quidem *vas* latine significat. Et sane vasi vinario *Canthari* nomen antiquitus concessum docemur ab Hesichio hisce verbis = Κάνθαρος ποτηρίου εἶδος. Eadem pariter significatione hoc nomen a latinis Scriptoribus usurpatum affirmat Cangius sæpe laudatus (9). Denique idem Papias, detecta, & assignata nominis originatione in hæc verba concludit = *Cantharus vas quoddam cum ansulis*. Equidem duo hic habentur satis manifesta, & indubia, *Cantharum* nempe vas esse, idemque ansis duabus instructum. Si ipsius vasis contuemur formam, & affigurationem, longe proximam habere cum Pharo conformationem liquet, nisi quod duæ ansulæ illud ambiunt. Cum igitur *Canthara* eadem *Phari* forma constarent, ita factum est, ut nimirum ex earum consimili forma *canthara* ipsa appellari *Phara Canthara* occœperint. Librum Pontificalem pervolutanti *Phara Canthara* sæpe sæpius obviam fiunt. Plura ex eodem libro loca alibi produximus, quæ supervacaneum, & inutile omnino est hic reiterare (10). Illud igitur ratum, firmumque maneat, lampadibus, quæ *Phara Canthara* vocabantur, id proprium fuisse, ut illis utrinque ansa prope dimidium se præberet. Denique cum nostræ fere ipso tractationis exordio, lampades apud veteres Christianos in sacris eorum Ædibus invectas, probare studeremus, inter cætera monumenta lampades subindicavimus, quæ Romæ in fornice, seu laqueari vetustissimæ Ecclesiæ S. Clementis PP. & M. depictæ adhuc prospectantur, unde non abs re erit, ut quæ scitu digna

(9) Glossar. ad lit. C. T. II. col. 182. & seqq.

(10) *Cap. XV.*

digna sunt, breviter exponam. Igitur sinistra ab ingressu ejusdem Ecclesiæ cernitur pictura plane antiquissima Depositionis Christi, Corona desuper appensa conspicitur, quam puto esse Regnum, eaque super altare pendet. Ad latera vero *Canthara* duo sunt cum suis ansis, quibus nectuntur catenulæ pro appensione (V. Fig. VI.) Sed præstat hic delineationem ære incisam proponere, unde evidentius palam fit, *canthara* quoad formam, demptis duabus ansis, cum *Pharis* convenire. Præterea agens in suis veteribus monumentis Johannes Cianycinius de janua marmorea Ecclesiæ S. Virginis Pudentianæ, quinque illius circulos, sive orbes describit, in secundo autem lampades repræsentari adfirmat, & ita prosequitur = *Notanda hic est forma lampadis, seu potius vasis lampadem continentis, quod fortasse antiquitus omnibus commune* = Ut autem solidiori fundamento suam fulciat opinionem, ad Musivum provocat, in fronte locatum Ecclesiæ S. Mariæ Transtyberim, ubi Evangelicæ decem Virgines conspiciuntur, quæ lampades manu gestant ad eundem modum fabrefactas (11). Superest modo, ut de *Canthari* ipsius ethymo pauca addamus. Primum itaque scribit idem Vignolius, *Canthari* originem a *Pharo* petendam maris Ægyptii insula, in cujus edito loco, sive turri olim ponebatur magna lampas accensa, quæ noctu viam navigantibus signaret; subdit postea hoc nomen ei tributum, quippe quæ *Canthari* formam referret. Hæc Vignolius (12), eandemque rem confirmat Cangius in suo Glossario (13). Postremo illud observare fas est, quod tam

Pha-

(11) *Tom. I. Cap. III. pag.* 27. quas quidem lampades Macrii fide, & auctoritate Noster innixus, illius generis esse ait, quæ *canthara* denominantur.

(12) *Lib. Pontifical. &c.* In indice rerum, seu Glossario ad verb. *Phara canthara Tom. II. pag.* 389. Postea ad calcem *Tom. III. pag.* 361. in hunc modum interrogat — Cur autem *Pharus Cantharus* dicatur *baud certo scio, nisi in formam vasis magni factum fuerit in extrema parte; nam poculum fuit, quod Baccho tribuebatur, sicut Herculi dictus a canthato, quod erat navigii genus. Plinius lib. XXX. Cap. XI. refert, Marium post victoriam Cimbricam cantharis potasse Liberi patris exemplo. Virgilius.*

Et gravis attrita pendebat Cantharus ansa

Ulpianus tradit : Cantharos esse per quos aquæ saliunt.

(13) *Tom. II. ad voc.* CANTHARUM *&c. col.* 182. *fincm versus.*

Phara, quam *Canthara* nonnunquam reticulata effingere adamavit antiquitas. Rem sane utilem, & jucundam arbitramur, schema hic oculis objicere, in quo *Pharum* simulque *Cantharum* ambo reticulato opere constructa videntur (*Fig.* VII.). Hæc cum ita sint, nemo non intelligit, *Canthari* ipsius, de quo usque dum disputatum est, quænam fuerit forma, & figura; adeo ut productioris sermonis res minime indigeat.

De Gabatis.

Aliud præterea lampadum genus apud Anastasium in suo libro Pontificali passim occurrit, & *Gabatæ* ab ipso vocantur. Quare adeundus hic etiam doctissimus Cangius, cujus verba sic se habent = *Gabata*, inquit, *Gavata*, *quasi cavata g. pro c. littera posita* = Mox Papiæ auctoritatem allegat, qui nomen ipsum sic interpretatur = *Gabata*, *Patina*, *sive Patella*, *vas*, *quasi cavata* = (14). Alia complura de *Gabatæ* vocabulo congerit idem Glossographus, petitisque a Martiale (15), ceterisque Scriptoribus, qui *Gabatam* pro *concha* acceperunt, exemplis, denique suum sermonem absolvens definite statuit *Gabatas* inter ministeria sacra repositas, easque fuisse lances, sive discos in Ecclesiis e laquearibus pendentes cereis, vel lampadibus oleariis instructos. Eadem pariter confirmat in suis ad librum Pontificalem adnotationibus sæpe laudatus Vignolius, qui *Gabathæ* nomen ad hunc modum evolvit = *Gabata*, *Gabatha*, *gavata* *cabatha*, *cabata* (sic enim variatim reperiri apud Scriptores adfirmat) *genus lancis*, *sive vas parvum* (16). Et vero lanx ab Isidoro *Gabata* appellata (17). Extat præterea Ennodii Epigramma numero nonum cum hoc lemmate = *De compostile habente septem Gavatas*, *hoc est lances*, *sive discos*. His ergo positis, & constitutis, compertum illico fit, exploratumque, cujus formæ, & figuræ extiterint *Gabatæ*; cum enim no-

(14) *Tom. III. ad voc. Gabata col.* 732.

(15) *Lib. VII. Epigram.* 98. de Cœna Annii sic habet. *Transcurrunt Gabathæ, volantque lances.*

(16) Cit. loc.

(17) *Origin. lib.* 20. *cap.* 4.

nomen ipsum suapte natura lancem, seu vas cavum significet, nemo propterea non videt, lampadibus illis *Gabatarum* nomen donatum, quæ formam, & affigurationem lancis, & vasis excavati præseferrent. Me non latet, id minime probari laudato Agiographo Antuerpiensi Janningo, qui sola effiguratione *Gabatas* a *Pharis* differre contendit; sic enim scribit = *Pharorum formæ diversæ, ita & vasorum in illis lumen alentium diversæ fuerant, & vasa ipsa diversis nominibus appellabantur a sua quoque figura, qua erant formata* = Et paucis interjectis = *Et hæ Gabatæ, aut stabant in Pharis plures simul, aut pendebant seorsim singulæ: de priori genere jam dictum est, in posteriori hæc intelligenda sunt apud Anastasium &c.* = (18). Sed reliquum modo est, ut schemate a veteribus monumentis deprompto ob oculos ponamus (Fig. VIII.). Super omnia nosse illud oportet, hujuscemodi lampades, quæ vasis cavi formam exhibere ex adducto schemate perspicue intelligitur, Romæ hodiedum in aliquibus Ecclesiis videri, nimirum in Basilica Lateranensi ante Altare majus, itemque in Cappella Palatii Pontificii. Demum in Basilica Vaticana eædem *Gabatæ* visuntur ante aram Eucharistici Sacramenti, in quibus diu noctuque lucentibus, cera pro oleo aduritur (19). Ne tamen inde putes, omnes & singulas *Gabatas* una eademque figura, & lineamento semper instructas. Multiplex enim illarum deformatio fuit, unde ortum inter ipsas *Gabatas* discrimen. Id quoque indubium, lampades omnes, ne demptis *Pharis*, ac *Pharis Cantharis*, subpositam lancem ad colligendum oleum, ne in terram decideret, habentes, *Gabatarum* nomine appellatas fuisse, cujus quidem rei schema hic proponere existimamus (Fig. IX.) Addendum postremo, hujuscemodi lampades Romæ præter loca indicata conspiciendas se præbere in Ecclesia S. Virginis & Martyris Cæciliæ; alibi vero in Basilica S. Mariæ Laureti; ubi cernitur in eis lanx supposita satis lata, & spatiosa, colligendis olei guttis, ne in terram dilabantur, destinata (20).

(18) *Citat. Commentar. ad Tom. VII. Jun.*

(19) Morem comburendi ante hoc altare ceram pro oleo, a Paulo PP. IV. inductum affirmat Macrius in suo cit. Hierolexico *pag.* 210.

(20) Doctissimus Josephus M. Suaresius, vir

De Butronibus.

Lampadum, quod modo sequitur genus, *Butrones* ab Anastasio nuncupantur. Age jam monet principio Cangius, in quibusdam Anastasii MSS. legi *Buttones*, deinde nonnullis ex ipso Bibliothecario locis recensitis, quoad illorum formam, & figuram silet omnino (21). Aliter vero se gerit Macrius; is enim in ipsius Anastasii libro Pontificali *Buttonem* quidem non *Butronem* legendum adfirmat, mox ejusdem vocis etymon inquirens, a nomine Βύττας quod cuppam significat, descendere arbitratur. Denique ad fidem faciendam schema in aperto ponit, testaturque hac forma, & figuratione in antiquis picturis repræsentari, tribus catenulis cæterarum instar lampadum firmatas (Fig. X.) (22). Ad summam ex tribus vasibus e circulo veluti corona pendentibus, & ad modum cuppæ satis apte elaboratis factum patet, ut hujusmodi lampades *Buttonum* nomen fuerint adeptæ. Cum autem res ita se habeat, jam de *Butronibus*, sive *Buttonibus*, quantum instituti ratio postulabat, satis a me dictum existimo.

De

vir quidem ingenii feracissimi, & lectionis propemodum infinitæ in suis schedis, & adversariis, quæ Romæ in Bibliotheca Barberina adservantur; de variis lampadum generibus cursim agens, ubi de *Gabatis*, ita scribit --- *Gabatæ sunt vasa concava eduliis, pulmentariisque aptissima.* Ex Martiale *lib.7. dici etiam possunt Gabatæ lampades XII. donatæ ex argento purissimo Altari Apostolorum Petri, & Pauli in Lateranensi Basilica ab Ascanio Card. Columna Archipresbytero ejusdem Ecclesiæ. Habent patinas cum suis catenulis, & lampadibus.* Postremo ad manum mihi modo venit Epistola Lucæ Recchi ad Pompejum Compagnonium data, qui ambo studiorum, & morum junctione in necessitudinem recepti Ecclesias suas summa cum laude gubernarunt, alter Ripanam, alter vero Auximanam, & Cingulanam. Sic igitur de *Gabatis* scribit idem Recchius --- *Quanto alle figure delle lampane, sono state varie negli antichi tempi. Le più frequenti si dicevano Corone dalla loro forma, e sono spesso nominate specialmente da Anastasio ec. altre si dicevano Gabate, e di queste ne ho vedute anche in S. Cecilia in Roma, in S. Gio: Laterano, e anche in Loreto, e sono lampane con un piatto di sotto al vaso, che contiene l'olio, che cade*

(21) *Glossar.* Tom. I. *col.* 1304.

(22) *Citat. Hepolet.*

De Canistris.

Haud dubium ex hactenus dictis, majores nostros multiplici lampadum forma oblectatos fuisse. Has inter numerantur *Canistri*, seu *Canistra*. Illorum mentionem ab Anastasio fieri, adducta ex ipso loca satis aperte declarant (23). Si Cangio sit fides habenda, ipse quidem *Canistros*, seu *Canistra* fuisse lampades adfirmat, quæ discum sub se positum habebant. Quare cum idem de *Gabatis* contingat, ut superius demonstratum, hinc inferendum videtur, nullum inter *Gabatas*, & *Canistros* discrimen intercessisse. Requidem vera Janningus suam opinionem secutus, mordicus contendit nil diversum *Canistros* tum a *Gabatis*, tum a *Pharis* habere (24). Atqui id nunquam concedam, etenim quod *Canistri* a *Pharis* internoscerentur, sequens evincit ejusdem Anastasii locus, qui sic habet = *Fecit in Basilica S. Petri Pharum in modum Retis cum canistro .... nec non aliud Pharum majorem in modum Retis cum Canistris* 20. *pendens sub trabe majore librarum* 104. *&c.* (Fig. XI.) (25). Ecquis ergo non videt *Canistros* a *Pharis* discrepasse? Profecto nullam aliam caussam deprehendo, nisi discriminis, quod inter illa intercedebat. Verum de *Canistris* hæc dicta sufficiant; ideoque piget hic latius immorari.

De Retibus.

Inter varia lampadum genera, quorum meminit idem Anastasius, nemini incompertum *Retia* quoque in earum numero habita fuisse. Antequam oratio progrediatur, operæ pretium videtur, commentationem ipsam, quam Vignolius huic voci subnectit, in medium afferre. *Rete* (en ejus verba): *seu Retiaculum, explicat Altaserra, contextum ex auro, & gemmis aldaberis*, eo usque pervenit operarum soller-

(23) *Vid. Cap. XV. hujus Oper.*
(24) *Cit. Commentar. T. VII. Jun.*
(25) *Vit. Leonis III.*

lertia, *idest ex gemmis in modum viriarum, sive armillarum habens inclusas auri petias maltitas, idest segmenta, seu plagulas ex smalto, quod fit ex vitro fusili. Fortassis hoc smaltum cum aureis petiolis, seu frustulis, & filamentis ex auro per ejus substantiam dispersis, ille cynaus est, qui vulgo dicitur lapislazzalo, quique factitius est, ab Antiquariis dictus pasta azurra, vel ex terræ gremio eductis* (26). Hæc Vignolius, qui parum de *Retis* notione solicitus, Altaserræ opinionem amplexatus, totus est in assignanda vocis *Aldaberis* significantia. Ut ut sit, constat quam certissime, *Retia* lampadum speciem fuisse, quæ prorsus a reliquis omnibus distinguebatur. Præter complura, quae apud Anastasium occurrunt loca, de illarum usu in Vaticana Basilica testis est locupletissimus Petrus Mallius; narrat enim sua tempestate in Atrio ipsius Basilicae *Rete* extensum accendi plenum luminibus singulis per annum diebus solemnioribus. Id ipsum denotatum habetur a Presbytero (hoc nomen sibi adrogat) in suo Opere *de Ordinibus Romanis*, & *Antiquitatibus Urbis*, quod quidem in Bibliotheca Vaticana adservatur, hæc enim verba scripto reliquit = *In nocturnis stationibus Basilica S. Petri accenduntur Retia, in diurnis candelæ* = ; ex quibus adeo perspicuis, & indubiis monumentis fas est colligere, *Retia* lampadum speciem constituisse. Dumtaxat difficultatis cardo in eo vertitur, cujusnam formæ *Retia* forent, & qua configuratione constarent. Res admodum implexa; nullumque lumen affulget, quo quid certi adfirmare valeas, ac definire. Janningus semper sibi constans, ut omnes, & singulas lampades, quarum meminit Anastasius, ad unum genus, nempe ad Pharos redigat (quibus ob diversam figuram nomen diversum fuerit attributum) sic ad rem propositam scribit = *Fuerunt & Phari forma non solum circulari, sed alia quoque diversimoda: puta in formam Retis* (27). Ego vero dicam, quod sentio. Igitur si vetera monumenta attente expendantur; ex iis clare eruitur, *Retia* nil peculiare habuisse, quo forma, & figura ab aliis lampadibus secernerentur. Nisi vero,

(26) Lib. Pontific. T. III. pag. 165. n. XXXI. In Vit. Bened. PP. III.

(27) *Cit. Commentar.*

ro, quod proprium id fuit semper peritiorum artificum, ut operibus conficiendis, majori quam antea fecerint elegantia, ac venustate exornent, novamque illis aliquando symmetriam dare nitantur. Id apud operarios ingeniosiores quotidie contingere nostris quoque oculis intuemur. Quid ergo? Cum initio lampades lamina complanata componerentur, postea temporis progressu usus variatus; aliquando enim eadem lamina sic omni ex parte terebrabatur, ut veluti filis argenteis ad modum retis contexta videretur. Lampades igitur retis instar sic perforatæ, cœptæ sunt *Retia* communiter appellari (Fig. XII. & XVI.). Rem ita evenisse opinamur; unde factum est, ut hoc nomen hæserit cujuscumque generis lampadibus, *Pharis* nimirum, *Cantharis*, *Gabatis*, *Canistris &c.* quæ pluribus in locis *ad modum retis*, *vel reticulata* ab Anastasio dicuntur (28). Huc alludere videtur locus Papiæ, qui sic habet = *Phara vasa sunt luminaria*, quæ nos *Retia* dicimus diverso modo formata.

De Coronis

Hactenus, quantum muneris, officiique mei ratio postulabat, de *Retibus* satis a me dictum existimo. Nunc de *Coronis*, quæ aliud lampadum genus constituunt, suscipienda est oratio. Cl. igitur Josephus Maria Suaresius Episcopus Vasionensis antiquorum monumentorum admodum solers pervestigator, cujus alibi mentio cum laude facta est (29) censet *Coronas*, quarum in suo Libro Pontificali sæpe memorat Anastasius, e lampadum albo esse omnino expungendas. Perplacet ipsius verba in medium afferre = *Anastasius*, inquit, *nominat Coronas pendentes super Altaria, quæ non erant lampades, sed pendebant ornatus gratia. Hujusmodi Coronæ exempla sunt in manuscripto Codice antiquissimo græco caractere in membranis manuscripto, Martyrologium nuncupato, cum vetustissimis imaginibus Sanctorum ad vivum; & satis est probabile, expressis in singulis fere paginis, quod insigne donum Vaticanæ Pon-*

tificia

(28) *Vit. Leonis III.*

(29) *Vid. sup. Not.* 211.

tificiæ Bibliothecæ obtulit Illmus, & Rmus D. Paulus Camillus Sfrondratus Episcopus Albanensis S.R.E. Cardinalis S. Cæciliæ nuncupatus Gregorii XIIII. Pontif. Max. ex Fratre Nepos vitæ innocentia, & moribus ornatissimus. Exemplum autem tale est ex Martyrologio fol. 342. (Fig. XIII.) (30). Hæc noster. At pace tanti Viri, hæc opinio manifestæ falsitatis arguitur. Damus enim libenter, *Coronas* pendentes poni super altaria ornatus caussa consuevisse, ut præsertim cernere est in pictura depositionem Christi exhibente Romæ in Ecclesia S. Clementis superius a nobis producta. Et ut verbis ipsis utar Cl. Paciaudi (*De cultu S. Johannis Baptistæ Antiquitates &c. dissert. 6. Cap. 10. pag. 266.*) A viris Principibus, & Optimatibus Coronas aureas per catenulas Basilicarum laquearibus supra sacram mensam appendendas sæpenumero oblatas, in antiquis Scriptoribus memorari video, quæ quidem verba laudat Antonius Franciscus Frisius in pererudito opere = *Memorie della Chiesa Monzese* = Disert. 11. pag. 76. illud tamen oportet necessario advertere, hujusmodi ornamenta, quæ super altaria appendebantur, *Regni* nomen proprium præsetulisse; ex quo certissime eruitur *Regna a Coronis* penitus discrepasse. Ut quævis dubitandi occasio præcidatur, unum ab Anastasio locum promere juverit, quod in Vita Leonis III. occurrit, & ita se habet = *Fecit autem ..... in Basilica beati Andreæ ..... Regnum ex auro purissimo cum gemmis pretiosis ornatum, pensans libras III. & & uncias V., nec non & super altare beatæ Petronillæ ..... fecit Regnum aureum cum gemmis pretiosissimis pensans libras III. & uncias IIII.* (31). Viden ergo hujuscemodi instrumenta, licet instar *coronæ* elaborata, *Regna* dicta fuisse, non *coronas*, idque ea nimirum de caussa, quod *Coronæ* ipsæ inter lampades locum haberent. Ut res ad oculum patescat, consulendus idem Anastasius. Profecto memorat is sæpe sæpius *Coronas*, adeo ut ipsa verba cogant pro peculiari lampadum genere, a cæteris distincto, illas accipere. Igitur

(30) *Cit. Sched.*, & adversariis, quorum apographum pone me est.

(31) *Lib. Pontific. ejusd. Edit. T. II. p.* 274. *n. LV.*

tur in Vita S. Sylvestri sic effatur = *Constantinus Augustus fecit .... & ornavit Bas..icam Constantinianam ubi posuit .... Coronas IIII. de auro purissimo cum Delphinis XX. pensantes singulas lib. XV.* (32). Itidem in Vita Gregorii IV.... *obtulit in Ecclesia beatæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ Dominæ nostræ, quam Callixti & Cornelii Coronas argenteas duas per unamquamque Delphinos XII. pensantes in simul lib. XII. simulque in Diaconia beati Christi Martyris Georgii fecit Coronam de argento unam cum Delphinis XII. pensant. lib. X.* (33). Denique in Vita Leonis IV. = *Fecit alia multa in aula beati Petri Apostolorum Principis Coronam ex argento purissimo una cum catenulis argenteis quatuor; habentem Delphinos quadraginta & duos pensant. simul libr. viginti, & tres* (34). Hæc ita cum sint, ecquis, quæso, audeat inficiari, *Coronas* inter lampades haud esse adnumerandas, cum instar aliarum omnium lampadum sustinere lycnichos asserantur? Sed quid ultra moror? Nonne ab eodem Anastasio recensentur *Coronæ pharales*, & *Pharæ Coronatæ* (35). Num quid Solis ipsa luce clarius est, *Coronas* inter lampadum genera locum tenuisse? Sed opus est, ut modo doctissimum Janningum audiamus, qui de lampadibus, quibus nomen *Coronæ*, explicationem aggressus, ad hunc modum eloquitur = *Formæ Pharorum*, inquit, *olim perquam diversæ fuerunt; Ea videntur potissimum fuisse, & nunc fere sola servatur quæ aut a medio corpore, seu globo brachia quædam sua, apta ferendis candelis, cereis, lampadibus extendit, æqualiter in circuitu, extremis inter se, aut non connexis, aut connexis circulo continuo; cui imponi varia lucernarum genera possint; & hujusmodi Phari nunc æque, ac olim Coronæ, sumpto a formæ nomine appellantur. Rursumque Phari, seu Coronæ, quæ continuo circulo circumducuntur, aliæ unum circulum dumtaxat habent, aliæ plures sic dispositos, ut alii aliis sint altiores, & quanto sunt altiores, tanto minorem efficiunt orbem infimo latissime omnium se extendente. Unius circuli coronam permagnam vidi olim Aquisgrani in Ecclesia S. Mariæ Virginis octo majoribus, ac totidem minoribus turriculis in circuitu orna-*

(32) *Ibid. pag.* 84. *n. IX. Tom. I.*
(33) T.III. *pag.* 26. *n.* XXX.
(34) *Ibid. pag.* 125. *n.* LXXXVII.
(35) *Ibid. in Vit. Xysti III.*

ornatam, & cereos circiter quinquaginta ferre solitam (36). Quæ de *Coronis* hic exponit noster Agiographus Antuerpiensis, earum formæ intelligendæ satis superque conducunt. Verum ad harum lampadum usum nunc revertatur oratio. Igitur in suo Chronico narrat Leo Ostiensis de Abbate Desiderio, missum ab eo C. Polim Monachum = *Qui ibi fecit Pharum idest coronam maximam de argento librarum circiter centum, habens in circuitu cubitos viginti, cum duodecim turribus extrinsecus prominentibus, sex, & triginta ex ea lampadibus dependentibus, eamque extra Chorum ante crucem majorem Ecclesiæ Casinensis firma ferrea catena septem deauratis malis, seu pomis ad ornatum distincta suspendit* (37). = Huc faciunt (utar hic laudati ipsius Janningi verbis) *quæ Desiderius Episcopus Carduacensis seculi VII. Sanctitate illustris ad ornatum Ecclesiæ suæ dedisse legitur in Vita, quæ apud nos est MSS. ex antiquissimo Codice Carduacensi. In Ecclesia ista, & ad ornatum Altaris præter alia, prominent turres, micant Coronæ, candelabra resplendent, nitet pomorum rotunditas .... adsunt & Statarii: Cereorum corporibus aptati: his omnibus crux alma, & pretiosissima, varia simul & candida arcubus appensa, Sanctisque subiecta fulget* (38). De ornandis hisce Coronis sic crevit insecutis temporibus studium, ut gemmis, ac margaritis ipsae decorarentur. Imo res eo pervenit, ut luxuria quaedam in eis effloruerit. Quapropter acerbe insectari exorsus S. Bernardus hunc abusum (si tamen abusus), quo sua tempestate ornabantur Ecclesiæ, præcipue calamum acuit in hujuscemodi *Coronas*, non minus lucentes splendore gemmarum, quam luminum, maluitque *Rotas* appellare, voce quidem contemptibili, non tamen inepta; Quemadmodum enim e modulo *Rotæ* prodeunt in orbem radii, & committuntur apsidii, ita e medio globo, aut alio corpore transeunt radii ad extimam ejus curvaturam, sicque tota machina *Rotam* e centro suo suspensam repræsentat. Verba S. Doctoris hæc sunt = *Ponuntur in Ecclesia gemmata, non Coronæ, sed Rotæ circumseptæ lam-*

(36) *Cit. Commentar. &c.*
(37) *Chronic. Cassinen. lib. 3. cap. 33.*
(38) *Eod. Commentar.*

lampadibus, *sed non minus fulgentes insertis lapidibus* (39) = Demum hujusmodi *Coronarum* vestigia aliquo modo superesse adhuc videntur Romæ in hypogeis, sive Confessionibus Ecclesiarum, in quibus ante Martyrum exuvias lychnichi vitrei circulo ferreo, aut ex aurichalco instar coronarum fulciuntur, & circumdantur (40). Omnia autem hæc sunt, quæ in præsens ar[illegible] extundere datum est. Postremo illud silentio [illegible]reundum, lampadum usum instar coronæ efformatarum ab Ethnicis descendisse. Id sane commonstrat figura depicta inter Antiquitates Herculanenses reperta, cujus ectypon superius Capite VI. attulimus (41).

De Cerostatis.

Sunt, qui putent, *Cerostata*, quorum haud semel meminit Anastasius (42) lampadibus accensenda fore (43). Id nimirum in caussa est, ut de variis earumdem lampadum gene-

L

(39) *Apolog. de Vita & morib. Religiosorum ad Guillelmum Abbatem S. Theodori T. 4. Edit. Florent. Cap. XI.* De hujusmodi *Corona* intelligi possunt Bedæ verba *lib. de Temporum Ratione Cap.* 24., ubi ad hunc modum eloquitur --- *Duæ maximæ, ac mirandi operis Phari suis quoque suspensæ ad laquearia catenis ad Natales Martyrum honorandos accendi solitæ sic ut magis nocturno visu lucem, comasque flammarum* [illegible] *vasa dignoscere valeant* --- Quibus verbis hæc de suo adnectit ejus Commentator Joannes Noviomagus --- *Pharos vocat Coronas illas, in quibus lucernarum ambitus ad ima usque fastigium sic sunt dispositi, ut continuo superiores angustiores inferioribus pyramidis, seu turris formam ostendant, quales suspenduntur ex laquearibus sacrarum ædium, seu quales succenduntur in sacris funebribus.*

(40) Quod spectat vocem *Rota*, qua citato loco usus est S. Bernardus, eruditionis gratia liceat adnotare quod Gretserus *in Horto S. Crucis pag.* 266. ex Cod. Bavarico sub nomine Bedæ de sepulcro Domini, refert, quod *Golgbotana Ecclesia . . . Crucem argenteam habet prægrandem. . . . pendente magna Pharo desuper, id est aurea Rota cum lampadibus, quæ ipsam Crucem debita lucis veneratione coronat.*

(41) Et ipse non inficior, aliquando hujusmodi *Coronas* nil commune habuisse cum lampadibus, sed in Ecclesiis ornatus caussa positas. Id præsertim evincitur ex miniatis picturis Mænologii Vaticani ex Basilio, in quarum additamentis (Veteres præcipua figurarum parerga dixissent) designantur quidam a longe prospectus nonnullarum interioris Ecclesiæ partium, præsertim pag. 309. quinto Idus Januarias, in qua duo arcus pro ornamento, & area Immaginis D. Theoctesti Martyris visuntur velis ornati, in quorum apice corona intexta gemmis suspenditur, interque singulos coronæ illi stanti subest candelabrum accenso cereo, superque columnas in arcuum angulis flabellum locatum est.

(42) *In Vit. S. Sylvestri Tom. I. pag.* 86.

(43) Joseph M. Suaresius in hanc abiit opinionem; quare in suis Schedis de aliquot generibus lampadum edisserens, inter illas enumerat *Cerostata.*

generibus disputantes, nostri muneris esse duximus; de *Cerostatis* disserere. Igitur re sedulo perpensa, libratisque rationum momentis, in sententiam rapimur doctissimi Cangii, cui præiverat Macrius, videlicet *Cerostata* a lampadibus, quæ oleo instructæ sunt, & ferri, vel funis ope ab alto pendent, omnino esse ableganda. Id statuunt, & adfirmant nostri duo Lexicographi. Primo loco, ipsum Cangium audire præstat, qui vocis originem, sensumque luculenter aperit sequentibus verbis = *Cerostata*, *Cereostata*, *Cerostataria Candelabra*, *quæ per se stant*, *vel in quibus cerei stant*, *aut manibus deferuntur*, *a cereis* non a κέρας *cornu* dicta, uti vult Papias, mox ejusdem Papiæ auctoritatem prodit, qui vocem *Cerostata* sic interpretatur = *Candelabra*, *vasa Ecclesiæ &c.* Denique nonnullis ex ipso Anastasio locis adductis provocat ad Martenium in suis *Anecdotis*, nec non *de antiquis Ecclesiæ Ritibus*, ubi res ad oculum patet (44). Macrius vero vocabuli hujus explicationem hoc uno verbo absolvit = *Cerostata Candeliere* (45) = Et sane si Bibliothecarius ipse consulatur, non uno in loco docet apertissime, *Cerostata* pura, putaque Candelabra fuisse. Siquidem in Vita Honorii PP. I. = *Fecit Cerostatas*, inquit, *majores paria duo* (46). Profecto hic dicendi modus *paria duo*, nonne *Candelabra* subindicat? Percurras, amabo te, totum ejusdem Bibliothecarii librum, & nunquam de lampadibus veris dictum id deprehendes? Quare hoc ipsum argumento est, *Cerostata* nil commune cum lampadibus habere. Ceterum quid vero opus est multis? Classicus est sequens ipsius Anastasii locus in Vita Xysti III. = *Candelabra cerostata* = (47). Non præterit me, ab eodem Bibliothecario nominari *Canthara Cerostata* (48). Verum observare fas est, & id

(44) Tom. II. col. 478.

(45) *Notizia &c. pag.* 105.

(46) *Vit. Honorii pag.* 244. *Tom. cit.*

(47) *Eod. Tom.I. pag.* 142. Sed in Editione nostra Vigolii legitur : *Candelabra argentea.*

(48) In eadem Vit. S. Sylv. *cit.* T. & *pag.* Ni fallor, idem sane dicendum de *Cerostatis*, & de *Cereaptis*, quorum pariter mentio frequens apud ipsum Anastasium occurrit ; & vero Cangius Panvinium sequutus hanc vocem sic explicat --- *Candelabrum in formam cornuum effectum*, *aliis instrumentum*, *quo cereus accenditur*, *vel vas*, *in quo cereus accensus ardet &c.*

& id pro certissimis rebus habendum, hujusmodi candelabra hac quidem ratione appellata fuisse *Canthara Cerostata*, quippe quæ Canthari formam aliqua parte referrent. Hic pedem sistimus, cum in re satis clara, & perspicua, malum sit tempus & verba profundere.

De Lampadibus sic nuncupatis.

Putares tu quidem lampadum, quæ ab Anastasio interdum memorantur, γενικὸν ὄνομα fuisse, nec non ipsum nomen patuisse latius, ita ut singulis cujuscumque generis lampadibus adhæserit. Ipse quoque in hanc opinionem descendisse non diffiteor. Attamen, si ejusdem Bibliothecarii loca attentius percurrantur, aperte deprehenditur, quibusdam lampadibus hoc nomen fuisse proprium, ac διακριτικὸν, quo ipsæ a ceteris internoscerentur. Ut e multis pauca referam, tria in promptu sunt; siquidem in Vita Sancti Hilarii hæc habentur = *In Oratorio vero S. Crucis fecit .... lampades aureas numero IIII. pensantes singulas libras binas* (49). Rursus = *Ad beatum Laurentium .... lampades aureas II. pensantes singulas libras singulas ..... lampades argenteas* X. *pensantes singulas lib. XX.* (50). Sed omnibus præferendus est locus, ubi in Vita Stephani PP. V. idem Anastasius hæc enarrat = *Idem autem Sacratissimus Præsul ..... cum conspiceret nocturnis vigiliis in Ecclesia majori, quæ vocatur sanctæ, & superexaltatæ Virginis Mariæ ad Præsepe lampades consuetudinariæ deesse, Gabatas argenteas cum lampadibus obtulit, & continuatim vigiliis ardere præcepit* (51). Cum igitur lampades conjungantur Gabatis hoc loco, haud ambigendum videtur, certum inter eas intercessisse discrimen. Nisi quod, subit mihi nunc cogitatio, solido quidem innixa fundamento, pro lampadibus apud Bibliothecarium intelligendos esse lychnichos, sive scyphos, in quibus oleum ad lumen edendum immittebatur. Equidem sic reor; unde veritus, ne tempus incas-

sum

(49) T. I. pag. 155.
(50) Ibid. pag. 158.
(51) Tom. III. pag. 271.

sum teram; si sermonem producam, consilium tacendi lubentissime amplector.

De Calicibus.

Dictum multoties, & prope ad nauseam, lampades ex multifaria earum circumlitione, & figura, varia accepisse nomina. Hinc aliquibus *Calicum* nomen attributum, *Calicesque* communiter vocatæ, quippe quæ forma, & designatione illas adamussim repræsentarent. Id sane apertissime fit e schemate, quod hic contemplandum proponimus (Fig. XIV.), unde certa emergit caussa, cur hujuscemodi lampades *Calicibus* se assimilantes, ab eis vocabulum fuerint mutuatæ. Tandem hac in re satis clara, & perspicua ad conclusionem duo ex Anastasio loca lubet proferre, quorum alterum occurrit in Vita Leonis III. in hæc verba = *Fecit autem idem egregius Præsul in Basilica beati Petri Apostoli calices majores ex argento mundissimo, qui sedent super trabes de argento, numero decem, & octo pensant. simul libras centum octuaginta &c.* (52); alterum vero legere est in Vita Leonis IV. = *Obtulit*, inquit noster, *Calicem pendentem cum catenulis, & Delphinis pensant. libras ....* (53).

De Turribus.

Pervolutanti ipsius Anastasii opus, quod *Liber Pontificalis*, seu *de Vitis Romanorum Pontificum* inscribitur, semel aut iterum, ubi lampadum mentio fit, *turres* obversantur. Requidem vera, sic noster eloquitur in Vita S. Hilari PP. = *Fecit Turrem argenteam cum Delphinis pensant. libr. sexaginta* =. Paucis interjectis = *Turrim cum Delphinis pensant. libr.* 25. (54). Unde hisce lampadibus hæserit *Turris* vocabulum, novit unusquisque, si quæ de varia lampadum forma, ac figura dicta sunt, mente complectatur. Nunc nostra ducimus

(52) T. II. pag. 278.
(53) T. III. pag. 82.
(54) T. I. pag. 157.

mus exscribere, quæ hanc in rem tradit inter Socios Bollandinianos artis criticæ peritissimus Janningus. Is igitur de *Pharis* edisserens = *Præter has Pharos*, inquit, *unius tantum circuli, fuerunt etiam aliæ circulorum plurium, quæ Turritæ vocari non abs re possunt, non quia ut jam dictum est, in extimo circulo portabant turriculos, sed quia circuli plures, alii aliis arctiores, atque altiores paullatim in modum turris in acumen superius desinebant, referebantque speciem Turris*, (Fig. XV) *atque etiam Tiaræ Pontificiæ, quam olim Regnum, ut ait Cæremoniale Romanum, nunc Triregnum appellant* (55). Sed satis ad id, quod erat propositum, a me dictum videtur.

Animadversio.

Quæ de multorum generum lampadibus usquedum exposuimus, ea quidem animadversionem hic jure meritoque locandam ostendunt. Duas in partes ea quidem dispertitur. Primum de materia, qua lampades ipsæ constabant, agemus. Secundo, num semper oleo illæ instruerentur, breviter explorabimus. Agedum ergo liquet quam certissime lampades olim quovis metallo fabrefieri consuevisse, auro nempe, argento, aurichalco, & etiam ære. Præter ea, quæ alibi protulimus, (56) sunt alia propemodum infinita apud Anastasium, quæ veritatem ad oculum demonstrant. Quare si quis id aveat, ad eumdem Bibliothecarium amandamus, ne rem longe notissimam hic inculcare judicemur. Secundo illud observatu dignum, haud semper oleum in lampadibus arsisse, sed aliquando pro ipso oleo combustas candelas. Id sane planum facit locus inter alios apertissimus in Vita Adriani PP. I., qui sic habet = *Fecit Pharum majorem in typum Crucis, qui pendet ante presbyterium, habentem candelas MCCCLXX., & constituit, ut quatuor vicibus in anno ipsum Pharum accendatur, idest in Nativitate Domini, in Pascha, in Natali Apostolorum Petri, &*

Pauli

(55) T. VII. Jun.

(56) Consule Cap. XV.

Pauli, *& in Natali Pontificis* (57). Hinc derivatum usum nonnulli putant, ut Romæ singulis annis anniversario recurrente die electionis, aut consecrationis Pontificis, luminaria exponantur, quæ numero pene innumera totum tholum (Cupulam vulgus appellat) Basilicæ S. Petri noctu illuminant. Denique similis fortasse hujusce *Phari* majoris typus, erat Crux illa magna ferrea, plena orbiculis cum lampadibus, quæ nocte feriæ V. Cœnæ Domini in eadem Basilica accendebatur (58).

De Delphinis, Gryphibus, Leonibus &c.

Antequam de multiplici lampadum genere orationem concludamus, officii nostri ratio postulat, ut de *Delphinis*, *Gryphibus*, *ac Leonibus* brevis instituatur disputatio, quæ quidem nomina interdum ab Anastasio lampadibus adnectuntur, & una cum illis nominantur. Ex ejus locis hæc tria tantum seligam, quæ rei comprobandæ abunde sufficiunt. Ergo in Vita Sancti Sylvestri = *Fecit*, inquit, (Constantinus) *Pharum cantharum ex auro purissimo ante altare cum Delphinis LXXX. pensant. lib. XXX.* (59). Itidem, = *Fecit Pharum ex auro purissimo; quod pendet sub fastigio cum Delphinis quinquaginta, quæ pendent, & cum catena, quæ pensant. libr. XXV. Coronas quatuor cum Delphinis viginti ex auro purissimo, pensantes singulas libras XV. Item Pharum Cantharum argenteum cum Delphinis CXX.* Denique Hilarus = *Fecit Turrem argenteam cum Delphinis pensant. lib. XXV.* (60). Hic de more duos consulere juvat Glossographos Cangium, & Macrium, qui Delphinorum vocabulum explicare non omittunt. Primus itaque sequentibus hisce verbis aperit mentem suam = *Delphini sunt ornamenta maiorum* λυχνουχῶν (61) = Alter vero hanc de penu suo profert explicationem = *Era lo stuppino delle lampadi* = mox vero dicti pœnitens = *significa*, inquit, *propriamente uno stup-*

(57) T. II. pag. 196.
(58) Ita Josephus M. Suaresius alibi laudatus in suis Schedis, ubi de aliquot generibus lampadum &c.
(59) T. I. pag. 86.
(60) Eod. T. pag. 85., 87., & 158.
(61) T. II. col. 1307.

stuppino grosso più dell' ordinario, *il quale serviva per le lampadi grandi*, *e non per le lucerne*, *forse erano lampade lavorate con figure di Delfini* (62) = Sic ipse suum sermonem absolvit. At si recte cerno, neuter eorum videtur rem attigisse. Age jam pro certo id haberi primum oportet, *Delphinos* ea vasa dicta fuisse, quæ quidem a Græcis *lycnuchi* vocabantur, nec non *ellychnia*, oleumque simul capiebant; cum vero *Delphinorum* imaginem, ac figuram præseferrent, ideo factum, ut eis *Delphinorum* appellatio fuerit attributa. Profecto, nisi amor mei ipsius me fallit, hæc sententia ad veritatis similitudinem videtur propensior. Huc perbelle faciunt verba sæpe laudati Janningi, qui eidem sententiæ utroque pollice subscribit = *Uti enim*, inquit, *Pharorum forma diversa*, *ita & vasorum in illis lumen alentium diversa fuerunt* , *& vasa ipsa diversis nominibus appellabantur a sua quodque figura* , *qua erant formata*, *Delphini &c.* (63). Jam vero ellychnium intra Delphini corpus hac industria immittebatur, ut oris latitudinem sua crassitie oppleret. Haud secus rem se habuisse opinamur. Patet igitur, *Delphinos* fuisse lychniculos, quibus prægrandes lampades nobilitabantur, ut uberrimam lucem ederent, ac splendidissimam; propterea que iisdem *lychniculis* nomen datum *Delphinorum*, quippe qui piscium, quibus nomen *Delphini*, figuram referrent, quemadmodum alii imaginem *Gryphium*, vel *Leonum* exhibentes, nomine ab hisce animalibus hausto *Gryphes*, vel *Leones* vocabantur. Adito Anastasium, & loca non pauca nactus, rem sic se habuisse deprehendes. Denique si modum quæras, quo Delphini in lampadibus collocarentur, pergam ab initio usque ad finem conjecturis indulgere. Igitur quod de lucernis, quæ manibus gestantur, fieri solet, ut tribus, vel quatuor vasculis ellycnia continentibus instructæ videantur; plane idipsum de Delphinis factitatum circa lampades arbitramur. Equidem ipsarum lampadum orificio machinamentum parvum imponebatur, ex quo lycnuchi *Delphinorum*

(62) *Notizia &c. pag.* 155.

(63) *De Basilic. S. Petri in Vatican., ejusq. Confess. pag.* 129. T. VII. *Jan.*

rum figuram repræsentantes, circulatim prominebant, & ab ore singulorum erumpens ellychnium accensum, lucem inferebat affluentem .... De *Delphinis* sic sentire amo. Hæc tamen non ita me commoveant, ut sapientiori judicio non acquiescam.

CAP. XXIV.

De nominibus, quæ ab Anastasio [illegible] lampadibus adjunguntur.

Nemo ire potest inficias, qui paulo attentius librum percurrerit Pontificalem, *Gabatas*, & *Canistra* duo lampadum genera, quibusdam nominibus sociari. Nomina autem sunt hujusmodi = *Columellata*, sive *Coiinellata*, *Anactea*, *Liliata*, *Fundata*, *Electrina*, *Intersatiles*, *Sexisca*, & *Porphyretica*. Antequam de singulis eorum singillatim disseramus, operæ pretium puto animadvertere, artificum ingenium ita comparatum esse, ut operibus, quæ facienda suscipiunt, novam semper adjicere studeant Symmetriam, nitorem, venustatem. Id satagere semper peritiores illorum & ipsi contuemur quotidie oculis nostris. His in antecessum prænotatis; *columellatas* appellari consuevisse *Gabatas* autumamus, quippe quæ parvis columnis instructæ forent ad majus elegantiæ incrementum. Sane, ea de caussa hoc nomen *Gabatis* copulatum, ipsius *columellæ* notio suadet. Ut ut tamen sit, ultimo ~~super omnia id præstat attendere~~, *columellatas* lampades nunquam, quod sciam, Anastasium commemorare; earum tamen mentio non semel occurrit in Episcoporum Antisiodorensium historia, teste eruditissimo Cangio, qui sequentia ipsius Historiographi verba recenset = *Gabatam. . . . Colimellatam pensant. lib.* 3. (1), quibus hæc de suo subjicit idem Cangius = *legendum Columellatam, ut ibi non semel* (2).

Vox

(1) *Histor. Episcopor. Antisiodor. c.* 20. Gabata T. III. col. 732.
(2) T. II. col. 700., & fusius in voce

Vox vero *Anaclea* quæ Gabatis aliquando addita invenitur, e Galliis & ipsa profecta est, nec non ex ejusdem Ecclesiæ Antisiodorensis veteribus monumentis. Ceterum nihil de illa penes Anastasium. Idem Cangius sæpe laudatus, hanc vocem explanaturus, ad nomen *Anax* amandat. Ibi Vasis genus esse docet; ibique in præsidium, nonnullis Scriptorum locis adscitis, monet nomen ipsum *Anax* non modo id genus *Vasa*, sed & materiem, qua Vasa conficiuntur, significare = *Id colligere licet* (ipsius verba recitabo) *ex Historia Episcoporum Antisiodorensium, in qua Anacleus ut adjectivum vasis illis adjungitur ..... ubi vasa ista Anaclea ejusdem forte materiæ, vel operis, atque adeo nominis fuere, ac ea quæ Anacæa dicuntur Plauto in Rudente &c.* (3). Memorat quidem neque uno tantum loco Anastasius (4) *Gabatas liliatas*, de cujus significatione oportet nunc verba facere. Igitur quod de *Gabatis columellatis* paulo supra dictum est; idem plane judicium de *Gabatis liliatis* ferendum fore videtur. Artificum namque studium, & industria fabrefaciendis lampadibus eo pervenit, ut ad elegantiam in extima earum facie *lilia* veruculo cælarent, aut alio consimili modo exculperent. Quid ergo? E *liliis*, quæ visebantur, factum, ut Gabatæ adjecto hoc nomine dicerentur *liliatæ*. Et vero nomen ipsum *liliatum* hac de caussa variis rebus adauctum liquet, in quibus *lilia* vel veruculo efformata, vel acu depicta comparebant. Quid, quod exempla non desunt, quæ nostro cogitatui mirifice velificantur. Siquidem *liliatos* tradit Cangius dictos fuisse e Regum Francorum stirpe oriundos *a liliis in scuto gladiatorio depictis* (5). Cur ergo *Gabatæ liliatæ* vocari nequiverint a *liliis* in earum externa facie veruculo ductis, vel quovis alio modo cælatis? Huc præterea faciunt Anonymi Scriptoris verba in descriptione Templi S. Sophiæ = *Capitella autem*, inquit, *quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilii fabricata erant* (6). Addantur insuper excerpta ex Prologo ad Vitam

(3) T. I. col. 389.

(4) *Pagg.* 35., 142., & 189. Edit. qua usus est Cangius.

(5) Vid. ipsum Cangium *ad vocem Lilium.* T. 4. col. 203.

(6) Ibid.

tam S. Bernardi Tironensis, quæ sic habent = *Et Candelabra, calamos, scyphos, sphærulasq. & liliorum repansiones* = (7). Quid plura? Juratissimus testis est Gregorius Magnus de *liliis* in lampadibus ornatus gratia suo tempore cælari solitis (8). Denique, ut mittam Leonem Ostiensem, Auctor Vitæ S. Benedicti Abbatis Ananiæ hæc in illius acta retulit = *Septem scilicet candelabra fabrili arte mirabiliter producta, de quorum stipite procedunt hastilia, sphærulæque, ac lilia, calami, ac scyphi* (9). Quæ cum ita sint, nemo sane inficiari ausit, *Gabatas* inde *liliatas* fuisse dictas, quippe quæ *liliis* in earum facie insculptis forent exornatæ. Sed verba fundere piget in re satis nota, & explorata.

Pervestigandum modo est, unde *Gabatas* ipse Anastasius *fundatas* appellaverit. Ut unum locum proferamus, de Leone III. hæc memoriæ tradidit = *Fecit. . . . Gabatas aureas fundatas pensant. libras quatuor & semis* (10). Ergo idem Cangius hanc vocem explicare exorsus, satis sibi fecisse videtur, si Bullengerii, & Macrii opinionem eliminet, nihil de vera vocis significatione solicitus; Bullengero (sic enim scribit) *Fundatus est auro textus, aut pictus, qui idem esse opinatur, quod nos etoffa a fond d'or vulgo dicitur = Drappo di fondo d'oro Dominico Macrio. Sed cum hæc vox tribuatur etiam vasis argenteis, & aureis, non video quommodo de acu pectili usurpari possit* (11)? Hæc noster Glossographus, qui tamen, ut dicebam, nihil statuit de vocis significatione. Ut ut sit, conjecturis indulgens ipse crediderim, *fundatas* inde dictas hujusmodi *Gabatas*, quippe ~~quæ veruculo sic fabrefactæ forent, aliis~~que cælaturis sic accomodatæ, ut quemadmodum in vestibus contingit, acu textæ comparerent. Sicut enim vestes fundatæ inde dictæ sunt, ita nihil impedit, quominus *Gabatæ* ad hunc modum efformatæ, tale cognomentum acceperint.

(7) *Eod. Tom.*, *& col.*
(8) Ibid.
(9) T. II. pag. 242.
(10) T. III. col. 710. Ad id facere videtur, quod *lib. 3. Reg. cap. V.* enuntiatur: *capitella autem quæ erant super capita columnarum quasi opere lilii fabricata erant:* quæ verba sic vertit Præsul Illmus Antonius Martinius in sua interpretatione Italica; *I capitelli, ch'erano in cima delle colonne nel portico, erano fatte a maniera di giglio.*
(11) T. II. pag. 296.

perint. Quid? *Gabatis* datum fuisse hoc nomen videtur hæc ratio admodum conveniens, &, ut vulgo dicitur, valde sufficiens. Hinc pariter liquet, cur apud eundem Anastasium non semel calices *fundati* occurrant. Is enim in Vita Adriani (cetera loca omitto) sic habet = *Itemque Præfatus SS. Præsul fecit in ea Basilica calicem fundatum argenteum pensant. libr. quinque* (12).

Excipiunt modo *Gabatæ Electrinæ*, quas olim in usu fuisse plura declarant ejusdem Anastasii loca. Cur autem hoc cognomine donatae illae fuerint, res est explicatui facilis, si dumtaxat *Electri* natura, & materies advertatur. Igitur rerum naturalium Scriptores *Electrum* definiunt *mixturam quandam æris, & stamni, quæ nomen sumit cum Electro ob coloris similitudinem*. Idem fere statuunt, qui *Electrum* ipsum adfirmant metallum ingentis pretii variis rebus compositum (13). Ex quo luculenter elicitur, *Gabatas*, utpote hoc metallo conflatas, vulgo *electrinas* vocatas fuisse. Denique res ipsa cum sit ex se satis perspicua, haud patitur, me hic amplius consistere. Quare sequentem Anastasii locum recitabo, eoque sermoni meo finem imponam. Haec igitur in Vita S. Hormisdae publicis monumentis consignat = *Eodem tempore misit Justinus Augustus Romam multa aurea, vel argentea dona de Gracia* . . . . . *Gabatam electrinam pensan. lib. III.* (14). Utique immorari nos aliquantisper oportet vocis pervestigandae *Intersatilis* significatione, quae *Gabatis* ab eodem Bibliothecario non semel adjungitur. Ut alia loca silentio praeteream, id aperte legitur in Vita Leonis PP. III. ubi haec Biographus posterorum memoriae

(12) Vid. *Dictionar. Chambres ad voc: Electrum.* Sed optimam *Electri* notionem nobis suppeditat Martinius in suo opere --- *Explications de Plusieurs Textes difficiles de l'Ecriture* T. I. *pag.* 142. ubi de clypeo Saulis edisserens, Not. *a.*, sic *Electrum* definit --- *L'Electre etoit un metal donc le fonde etoit d'or avec un cinquieme d'argent: il avoit la couleur de l'ambre: le melange etoit difficile, & ainsi la composition en etoit bien plus riche, & plus precieuse che l'or le plus pur.* Denique Alterius in suis Philosophiæ Elementis (Tom. III. pag. 291. *Edit. Venet.* 1783.) de eodem *Electro* hæc habet -- *Succinum*, sive *Electrum*, & *ambra* sunt duo nobilissima bituminis genera, quæ solo originis loco differunt inter se, cum primum in mari balthico, & in aliquibus septentrionalibus Europæ regionibus, ambra vero in Indiis orientalibus, & occidentalibus, reperiatur.

(13) T. I. pag. 188.

(14) T. II. pag. 306.

moriae demandat = *Fecit ibi insuper* (in Basilica S. Pauli) *Gabatas fundatas intersatiles ex argento purissimo numero octo, quæ pendent. in Pharo æreo in medio Basilicæ pensant. inibi libr.* 14. (15). Igitur hoc *Gabatis* adjecto nomine, significari putat Cangius, quod cælato opere elaboratae ipsæ forent, adscito in suæ sententiæ præsidium Papiæ testimonio (16) qui quidem hanc vocem sic interpretatur = *Interrasilis, anaglypha, sculpta.* Monere dein e re sua ducit idem Cangius apud ipsum Anastasium pro *Interrasilis* legi *Intersatilis*, observatque insuper eandem vocem sic exaratam reperiri in Epistola Hierosolymitani Episcopi ad Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum (17). Utcumque res sese habeat, id certo constat, vocem hanc in Bibliothecarii officina cusam non fuisse; neque primam ab illo usurpatam. Quid quod de *Interrasilis* voce insignis locus est in veteri sacro Fœdere; cum enim plura Moysi demandasset Deus de Arca, ac Propitiatorio, mox de Mensa hæc edixit = *Faciesque ibi labium aureum per circuitum, & ipsi labio coronam interrasilem* =. (18). Jam vero juxta nonnullos magni nominis Interpretes *Interrasile* est opus per intervalla cœlatis quibusdam ornamentis deauratum (19). Et sane hanc vocem sic explicat vetus vocabularium penes doctissimum Martinium = *Interrasile dicitur* (en ipsius verba) *interpolatum, cœlatum, & planum; planum enim inter cœlaturas quasi rasum videtur, vel secundum Papiam, interrasile est anaglypha sculptura; Alexander vero dicit, quod nunc sculpturis, nunc planitie variatur, hoc, & non aliud opus interrasile dicas* = (20). Præterea placet locum exscribere ab Excerptis ad Ammiani calcem a Valesio editis. Sic ergo ibi legitur = *Laminam auream jussit* (*Theodoricus Gothorum Rex, qui eo usque illitteratus erat, ut ne nomen quidem suum subscribere posset*) *interrasilem fieri quatuor literas Regis habentem* = TEOD. = omissa adspiratio-

(15) T. III. col. 1420.
(16) Loc.cit. ubi recenset verba Anonymi de Gestis Constantini M. --- *Laminam auream jussit interrasilem fieri.*
(17) Ibid.
(18) Exod. cap. 25. 25.
(19) Vid. Mazochium in suo *Spicileg Biblic. T. II. pag.* 47.
(20) *Explication sur le lieu plû difficile de l'Ecriture &c.*

tione (21) adeo ut si subscribere voluisset, posita lamina super chartam per eam penna duceret; & subscriptio ejus tantum videretur (22). Denique verbo *Interradere* usum Plinium comperimus, unde vox *Interrasilis* orta est designandis sculpturis, seu cœlaturis, in quibus abradente lima, ita opus insculpitur, ut abradatur per intervalla, unde surgunt repositoria, quibus lances in mensa sustineantur (23); Utitur autem Historiographus ipse voce *Interrasilis* hac occasione, qua de re ita scribit = *Coronas ex cinnamo interrasili auro inclusas primus omnium in templis Capitolii, atque Pacis dicavit Imperator Vespasianus Aug.* (24). E quibus huc usque dictis manifesto liquet, unde *Interrasilis* nomen fuerit *Gabatis* aliquando sociatum.

Verum ad *Gabatas saxiscas*, quas idem Anastasius commemorat, modo seposita omni cura, accedamus. Unum dumtaxat, omissis aliis, locum seligam, in quo de Leone PP. IV. hæc scripto reliquit idem Biographus = *Obtulit... Canistra ex argento mundissimo tria, & Gabatas Saxiscas pensant. in unum libras duodecim, & semis* (25). His recitatis verbis sequentia de suo adjungit Dominicus Macrius = *Vengono anco dette le Gabbate Saxisca, non perchè fossero fatte di sasso, ma perchè rappresentavano la figura delle Conchiglie, e padelle marine attaccate alli scogli, e sassi del mare* = attentius postea perpensis Anastasii verbis, sic prosequitur = *Non poteva per certo essere di sasso, mentre la materia era di argento. Si deve dunque correggere il testo di Tertulliano: Vascularum Grabatarum purgatio lib. 5. cap. 5. advers. Marcion., e leggere secondo le notazioni dell' eruditissimo Latinio = Gabatarum* = (26). Sed alia Cangius incedit via, siquidem Bulengerii, qui cum Macrio idem sentit, opinionem aspernatus = *potior*, inquit, *est*

con-

(21) Revera in nonnullis nummis hæc aspiratio cernitur omissa.

(22) Plin. *lib.* 12. *Cap.* 19. Vid. quoque Calmetium ad cit. Cap. & *vers. Exod.*

(23) Hæc scribit ipse Calmetius *eod. cit. loc.*

(24) *T. III. p.* 104. Mihi vero maxime arridet cl. Antonii Martini sententia qui in sua versione Italica veteris, ac novi Testamenti, ea verba Exodi cap. 25. *v.* 25. --- *Coronam interrasilem altam quatuor digitis &c.* sic reddit. *una Corona parte piana, e parte scolpita, alta quattro dita ec.*

(25) Notizia ec. *pag.* 210. ad vocem *Gabata.*

(26) *Tom. VI. col.* 153.

conjectura, *ita dictas hujusmodi Gabatas*, *quod opere Saxonico elaboratæ essent*; *nam Saxiscus dicitur pro Saxonicus in Bullis Benedicti VIII. PP. an.* 1023. *Insuper Bullar. Cassinen. T. I. pag.* 9. *hæc leguntur* = *Nec non & Calicem Saxonicum cum patena sua*, *quam Theodoricus Saxonum Rex Beato Petro olim transtulerat* = (27). Profecto horum Scriptorum uter utri sit præferendus, cujusque sententia amplectenda, fluctuat animus noster, & anceps hæret. Nimirum Cangii sermo recta procederet, si citatis Benedicti VIII. literis, sive, ut ajunt, Bullis *Saxiscus Calix* legeretur. Atqui *Saxonicus* patentibus literis occurrit. Quid igitur? Ratio ipsa suadet, ea potissimum de causa *Saxonicum* appellatum ipsum Calicem, quippe qui apud *Saxones* fuerit conflatus. Nonne ipsa experientia docemur, opera quæ Romæ, vel Parisiis, alibive locorum fabrefactæ fuerunt, ab iisdem locis cognomen desumere? Ut ut tamen sit, cum in re satis obscura versemur, neque lucis radius effulgeat, malo Janningi verbis sermonem absolvere = *Saxiscæ dicuntur*, sic ipse scribit, *seu Saxicæ*, *a Gente istius nominis*, *nisi mavelis vasa ista certo Saxi genere excavata dicta fuisse* (28). Et vero ad hanc significationem videtur nos manu ducere sequens Anastasii locus, ubi de Gregorio PP. III. hæc inter cetera narrantur = *Contulit* (in Ecclesia B. Petri) *dona diversarum specierum*, *Gabatas aureas duas*, *alias Saxiscas numero quinque* (29). Equidem voci *τὸ saxisca* hæc notio subjecta videtur, quod materies fuerit saxea, sive opus saxo efformatum. Quid ergo? Ambigi omnino nequit *Gabatas inde Saxiscas*, vel *saxicas* appellatas fuisse, quod saxo excavatæ forent, & materia saxea compositæ. Huc accedit penes ipsum Anastasium, lampades Porphyreticas sese objicere. Quid autem, quæso te, vox *Porphyritica* significat, nisi lampades marmore *porphytico* excavatas; proptereaque hoc nomen illis attributum? Cur ergo negandum *saxiscas*, vel *saxicas* ea de caussa appellatas fuisse, equidem non video.

Licet

(27) *Supr. cit. Commentar.*
(28) Commentar. ad T. VII. Jun.
(29) T. II. pag. 47.

Licet vero de lampadibus *Porphiriticis*, quorum mentio illata est, hujus vocis significatio ex modo dictis innotescat, nihilominus nostra refert de eadem voce hæc pauca dicere. Principio igitur unum Bibliothecarii locum juverit in medium afferre. Is itaque in vita Leonis PP. IV. sic effatur = *Obtulit B. Petro Apostolo Coronas Porphyriticas miræ magnitudinis ornatas ex auro purissimo cum Delphinis duodecim* (30). Haud dubium hasce Coronas, inde *porphyreticas* dictas; quippe quæ marmore *porphyretico* constarent. Siquidem nemo ignorat, *Porphyrum* genus marmoris esse. Hinc in Romanis antiquitatibus *Rota porphyretica* occurrit, quo plane vocabulo Camera designatur, cujus pavimentum ex marmore *porphyretico* Rotæ figuram exhibet (31). Quidni ergo adfirmandum, lampades ab ipso marmore, quo erant instructæ, accepisse nomenclaturam? Ad summam de lampadibus tam *saxiscis*, quam *porphyreticis*, idem judicium ferendum, ut illæ saxo exculptæ, & excavatæ fuerint, hae vero marmore porphyretico fabrefactæ. Nisi quod obversatur mihi modo difficultas, ab ipsius Anastasii verbis petita, ubi de eodem Leone PP. III. sic scribit =. *Obtulit Gabatam saxiscam argenteam, habentem scyphos deauratos pensantem lib. II.* (32); quæ quidem verba nostram sententiam prorsus infirmant, ac dejiciunt; unde quo me vertam nescio; precorque dumtaxat, ut nemo ad obrusam exigat a me omnium, & singularium vocum, quæ penes Anastasium obviam fiunt, veram explicationem, & significantiam; plures enim tanta obscuritate laborant, ut Interpreti etiam solertissimo crucem ferant. Attamen, ne ipsius difficultatis onere territus, statim dimissis armis, ex arena discedere videar, dixerim, Bibliothecarium *Gabatam* hanc, tametsi argento purissimo conflatam, *saxiscam* appellasse, quip-

(30) *T. III. pag.* 109.

(31) Petrus Diacon. Chronici Cassinens. *lib.* 4. *Cap.* 37. Cave tamen ne putes, Romanum Auditorium, *Rota* nomen inde sumpsisse, quod nempe judices in Aula sedeant, quæ pavimentum habeat instar Rotæ constructum; inde enim hocce nomen exortum videtur, quod ibi Auditores, ut vocantur, Rotæ, alternatim sedeant, judicentque, aut quod apud ipsos versantur præcipua totius orbis Christiani negotia. Quod sane dicasterium princeps, sive, ut ajunt, Tribunal supremum ab Johanne PP. XXII. institutum scribit Golstadus lib. 2. *Alamannitor. p.* 5.

(32) *T. II. p.* 23.

quippe quæ non simplici lamina, sed argenti palacra veluti *saxo* exculpta videretur. Ut ut sit, negari omnino nequit, lampades ipso Biographo teste, tum e marmore porphyritico, tum e nudo saxo formari consuevisse.

C A P. XXV.

De Ellychniis in Lampadum concinnatione adhibitis, nec non de usu ea construendi.

Ne quid reliqui faciam eorum, quae ad rem nostram pertinent, nunc est sermo de Ellychniis instituendus. Cum vero illa non unius generis fuerint, separatim propterea de singulis dicendum. Ante igitur omnia observare operæ pretium est apud veteres Scriptores, præsertim vero penes Anastasium, lampadum *ellychnia* vocari, ut plurimum *myxa*. Locum unum indicasse sufficiat in vita S. Sylvestri, ubi in sacro fonte *myxum* diebus Paschæ arsisse narrat (1), ad quem quidem locum Vignolius hanc commentationem appingit = *Mixum a Suida dicitur & μύξα lucerna Ellychnium*. Sequentes postea versus ex veteri epigrammate recitat:

Ideo me pulcherrima pulcherrimam
(εἴκοσι μύξαις viginti ellychniis
Opulentam Critiæ filia lucernam dicavit Deo (2)

Hinc

(1) *T. I. pag.* 98.

(2) Epigramma refert integrum doctissimus Bentlejus (Ep. 59.) quod hic excribendum in gratiam eruditorum pensi nostri putamus.

Τῶ με Κανωπίτα Καλλίςιον εἴκοσι μύξαις
Πλῦσιον ἡ Κριτιῳ λύχνον ἔθηκε Θεῷ;
Εὐξμένα περὶ παιδὸς Ἀπελλίδος: ἐσδ' ἐμὰ φέγγι
Α'θρήσας φήσεις ἔσπερε πῶς ἔπεσες.

Quæ quidem verba sic vertit idem Betlejus:
La Figliuola di Crizia Callistio
Me lucerna di venti lucignoli
Al gran Dio di Canopo dedicò
Per la salute del suo figlio Apellide
Tu dirai nel vedere i lumi miei,,
Espero, come a noi disceso sei!

Quod vero Canopi Deus hic enunciatus sit Serapis, qui in percelebri ejusdem Civitatis templo ob sanitatem ægrotis restitutam præcipue colebatur, liquet ex Strabone *XVII. pag.* 800.

Hinc appellatas lucernas ab ellychniorum numero *lilicas*, *trilicnas*, *dimixas*, *trimixas*, & indefinite *polimixas* pluribus in locis eruitur ex Polluce (3). Huc alludit Martialis distichon

Illustrem cum tota meis convivia flammis,
Totque geram myxos, una lucerna vocor. (4).

Constat itaque, ut dicebam, *myxa* nomen lucernæ, & lampadi attributum, quæ quidem vox suam Græcis originem acceptam refert, atque humorem illum significat, qui e naribus guttatim defluit. Cum vero oleum in lampade eodem modo madefaciat ellychnium; hinc potiori jure profectum hoc nomen, nec non ellychnia ipsa communiter *myxa* appellari cœpta sunt; ut ejusdem Bibliothecarii loca non pauca fidem faciunt certissimam. Quæ cum ita sint, opus non est, ut in re satis perspicua longius oratio provehatur. Ceterum non *myxa* tantum, verum etiam *binixa* vocantur lampades ab eodem Anastasio; Is enim in Vita Leonis PP. III. hæc scripto reliquit = *Fecit lucernas majores fusiles binixas anaglyphas duas pensantes inibi lib. LVII. & constituit ejus Beatitudo, ut quotidianis noctibus ante Altare ipsius Apostoli ardere debeant.* (5). Modo illud extra controversiæ aleam ponendum, quod quidem brevi planum faciemus, hanc sibi legem Anastasium statuisse, ut vernaculis vocibus, quæ per ora hominum suo tempore volitabant, uteretur. Quid ergo? Sua tempestate lampades, quæ duobus ellychniis constabant, non *bymyxa*, sed *binixæ*, corrupto vocabulo, dicebantur. Quæ cum ita sint, vocis *binixa* origo statim innotescit, & significatio. Siquidem nemo nescit, vocem *bi* ex *bini* contractam numerum dualem importare; unde oritur *bimulus*, *bipes*, & id genus similia. Per consequens ergo elicitur, lampades inde *binixas* vocari consuevisse, quæ duobus ellychniis essent instructæ. Demum ad hæc Vignolii accedit auctoritas; is enim ad recitata Bibliothecarii verba hæc assuit verba = *Lucernas majores non malleo ductas, sed igne conflatas duobus lychnis in-*

N *stru-*

(3) *VI.* 105., & *X.* 125.
(4) *Lib.* 4. *Epigramm.* 41.
(5) *T. II. pag.* 276.

structas (6). Atqui non duobus tantum ellychniis, quæ duo lumina emitterent, construere ipsas lampades in more habuit antiquitas, sed majori numero illas augere. Qua de re decem *myxis* ornatas declarat sequens Anastasii locus in Vita S. Hilarii PP. = *Item ad S. Johannem fecit lucernam auream cum myxis luminum decem* = (7). Sed illud scitu dignissimum, apud ipsum Romanor. Pontificum Biographum, non raro has voces occurrere *exafoci*, vel *exafotia*; similiter *cimafotia*, vel *ennafodia*, ac demum *exdecafoti*; unde nostra interesse ducimus, uniuscujusque vocis etymon, & significantiam explanare. Ut a prima ordiamur, sæpe laudatus Vignolius hoc illa commentario prosequitur = *Exafoci, seu exafocia sunt Lampades sex luminibus instructæ* (8). Macrius vero ultra progressus, sic effatur = *Questo vocabolo (exafoci) da Anastasio Bibliotecario contiene due errori palpabili; il primo consiste nella separazione dei caratteri; il secondo nella mutazione dei medesimi ....: Secondo la mia congettura, si deve correggere Exaphotia, che significa sei lumi secondo le voci Greche* εξ *sei,* φωτια *lume, o splendore* (9). Hæc noster Hierolexicographus, qui erroris quodammodo expostulat ipsum Anastasium. Igitur nullus dubitandi locus est, vocem hanc Grajo solo enatam, & a Romanis corrupte acceptam inde per illorum ora volitasse, voce *exafoci* pro *exafoti* pronunciata, quod quidem contingere solet, de quovis Idiomate etiam patrio, ut a rudibus, & illitteratis nomina, & verba, modo decurtatis syllabis, sive literis, modo iisdem permutatis, vel adjunctis, proferantur. Audias ipsum Bibliothecarium sæculo floruisse, quo Latium, seu latina lingua exoticis vocabulis, ac solœcismis redundabat. Quare cum *exafoci* vulgus appellitaret lampades *exafoti*, sex nempe ellychniis instructas, consulto, prudenterque noluit hanc vocem, tametsi corruptam, a sua possessione exturbare. Hæc de Macrii sententia. Accipe modo, quæ de originaria ipsa voce commentatus est Cangius. Is ad hunc modum

(6) Ibid. Not. 2.
(7) T. 1. *pag.* 157.
(8) *Not. ad Vit. Benedicti PP. III. pag.* 161. *nec non Glossar. Part. II. verb. Canistra pag.* 355.
(9) *Notizia ec. pag.* 193.

dum in suo Glossario enuntiat = *Exafoci: Anastasius in Benedicto III. PP. = Obtulit Canistra Exafoci ex argento purissimo, Sed legendum indubio Exafota ex gr.* ἑξάφωτα, *idest Canistra sex luminaribus, lucernis, vel candelis instructa. Ita in Leone II. Canistra Exafodii, & canistra Ecafodia perperam pro Ecafota, idest unius luminis* ἑνὸς φωτός, *nisi quis malit legere Eneafota, seu* Ἐννεάφωτα *novem lucernis instructa. Atque ex his emendandus idem Anastasius pag.* 113. *Canistrum ex cede Casotii pensantem lib.* 12. *& semis; legendum enim Excedecafotis* Ἑξαδεκαφώτιον, *sexdecim luminum, quemadmodum praeferunt alii Codices: Excedecafoti* (10). Hactenus Cangius, qui non Anastasium, sed Librarios erroris insimulat, quod *exafoci* pro *exafoti* scripserint. Ceterum ex ipsa vocis significatione eruitur, lampades illas hoc nomine donatas, in quibus ellychnia circulatim forte disposita arderent. Nunc de reliquis duabus vocibus *Errafodion*, & *exedecafodion* disputandum, quæ ab Anastasio iisdem lampadibus copulantur; sed utramque interpretationem ab ipso Cangio occupatam unusquisque ex recitatis Glossographi verbis perspicue tenet, quod scilicet *ennafodia*, vel *ennafotia* lampades unius luminis; *exdecafoti* vero lampades sexdecim luminum designat. Demum, ante quam de ipsis ellychniis finem habeat oratio, præstabit nonnulla notatu digna in medium adducere, quæ laudatus Macrius affert ex manu exarato Cæremoniali pervetusto, quæque postea a doctissimis Editoribus Operum S. Gregorii PP. recusa leguntur. In eorum Isagoge Liturgica (11) hæc leguntur = *A Subdiacono regionario antecedenti die publicatur Statio proxima in Missa solemni ante Communionem, sequenti forma verborum: Crastina die veniente statio erit in Ecclesia Sancti N. Mox Chorus respondet: Deo gratias. Acolythus deinde in eodem Stationis die ex Ecclesia ubi celebrabatur, deferebat Papæ frustillum ellychnii oleo lampadis ejusdem Ecclesiæ Stationis intinctum, & elata voce dicebat: jube Domne benedicere, ac post Pontificis benedictionem prosequebatur cantum dicens: Hodie fuit Statio ad Sanctum N. qui salutat te. Pontifex sumebat ellychnium, ac devote osculatus respondebat:*

Deo

(10) T. III. col. 187. T. IX. Edit. noviss. 1772.
(11) Isagog. Liturgic. Cap. 14. pag. 295.

Deo gratias. Deinde Cubiculario consignabat. Quæ omnia ellychnia conservabantur usque ad obitum Pontificis. In quo eventu ex eis pulvillus implebatur, & sub capite defuncti Pontificis ponebatur ⩵

At nedum pluribus, ut dictum est, ellychniis lampades concinnare adamavit antiquitas, verum etiam non una eademque materie semper compingere; licet enim gossipii filis generatim ea componerentur; aliquando tamen papyro struebantur. Vadem do hac de re satis locupletem Alcimum Avitum, qui in suo carmine, ut alibi adnotavimus, sic perbelle canit:

Aut quæ neglectum liquet pars altera notum
Incensos lychnos nequidquam sustulit unda.
Emicat exiguus commoti luminis ignis;
Sed virtute carens languentem lampade fervor
Deserit, & siccum percurrit flamma papyrum.

(12) Præterea illud innuisse juvat, a Græcis posterioris ævi Scriptoribus vas, intus quod immittitur ellychnium, appellari Βάμμυλον; unde nomen occurrit διβάμβυλον, μονοβάβυλον &c. Sed aliam insuper materiem parandis ellychniis adhibitam, discimus ab eodem Anastasio; is enim in Vita S. Sylvestri hæc in acta retulit ⩵ *Ubi candela est. . . . myxum vero ex stuppa amianthi* (13). Quæ quidem verba sic noster Cangius commentatur ⩵ *Legendum myxum ex stuppa amianta, idest pura ex Græco* ἀμιάντοσ *purus immaculatus,* στυπη *vero* στυπαν *stupa.* In rei fidem provocat ad S. Hieronymum, qui *in Cap.* 41. Ezechielis ⩵ Ἀμίαντος *genus est*, inquit, *ligni, vel ligni habens similitudinem, quod quanto plus arserit, tanto mundius invenitur* (14). Ex quo satis ~~compertum fit, exploratumque, amiantho~~ solita olim instrui lampadum ellychnia, quod quidem ea ratione factum putamus, ut quædam pompa in eis appareret. Sicut enim diebus solemnioribus omni ornatu Altare,

(12) *Carm. inscript. Alcimus Avitus ad Fuscinam.*

(13) *T.I. pag.* 88. Quid sit Amyantum, tradit sequentibus verbis idem Alterius loc. supracit. *pag.* 294. *n.* 821. *Tandem*, inquit, *inter lapides aliqua singulari virtute insignes primo referimus Amyantum, sive Asbestum, vel linum montanum, quod componitur ex mollibus, ac parallelis filamentis, ex quibus ellychnia, & linteamina parantur, quæ igne minime consumuntur.*

(14) *Vid. ejus Commentar. ad idem Cap. Ezech. &c.*

re, & ipsum Templum circumvestiebatur, sic visum est, lampadum ellychnia *amianto* componere. Mitto causam aliam in ipso amiantho delitescentem; cum enim inter cremandum albescat, hinc monebantur Fideles, caritate, & puritate sic debere se Deo mancipare, ut unusquisque his inter ceteras virtutibus apprime præditus, veluti lucerna ardens, effulgere posset in domo Dei.

C A P. XXVI.

De varii generis oleo pro lampadibus adhibito.

Cum ipse Deus, uti nostræ tractationis initio ostensum fuit, Moysi præceperit, ut lucernam in Tabernaculo e regione altaris collocaret, ibi jugiter arsuram, hoc inter alia potissimum edixit, ut oleo repleretur longe purissimo (1), idipsum propterea Christi cultores præ oculis habentes, non modo lampades in sacris Ædibus locare arbitrati sunt, sed omne studium, omnesque curas eo contulerunt, ut nedum oleo nostrati, cetera purissimo, & e prima nuce educto, verum etiam oleo peregrino, vel alio liquore, nostrati eidem oleo permixto, lampades instruerent. Ut modo de hac oleorum varietate, ac permixtione, quidquid instituto nostro conducit, proferamus, de multigeno oleo, quo veteres Christiani pietati suæ blandientes, easdem lampades concinnabant, disseremus. Sed nunc quoque præ oculis, & manibus habendus Anastasius. Is igitur in Vita S. Sylvestri PP. hæc denarrat = *Fecit Pharum cantharum argenteum; ubi ardet oleum Nardinum pisticum* (2). Duo hic adnotanda, nomen videlicet *nardinum*, & vocabulum *pisticum* illi conjunctum. Profecto e recitatis iisdem verbis planissime colligitur, in lampade a laudato Pontifice oblata, oleum arsisse nardi liquore permixtum. Jam vero con-

(1) *Exod.* 27. 21. Item *cap.* 40. *v.* 2. *Præcipe* ait Moysi ipse Deus, *filiis Israel, ut offerant tibi oleum de olivis purissimum ac lucidum ad concinandas lucernas jugiter.*

(2) *T. I. pag.* 86.

constat, *nardum* ea natura præditum, ut odorem fragrantissimum emittat. Quid ergo? Rati sunt Christiani illi ter beatissimi lampadibus componendis nostrati oleo nardi liquorem permiscere, ea ducti persuasione, duplici hac honoris, & observantiæ testificatione, seipsos, divina opitulante gratia, bonum Christi odorem evasuros. Hæc, si recte capio, illorum menti opinio insedit. Cur autem vocabulum *pisticum* nardino oleo jungatur ab Anastasio, res explicatu facilis est, & cuivis rudi ingenio pervia, siquidem neminem latere debet a græca voce πιςις derivata a πιςικος quod latine significat *fidelis*. Anastasius ergo Evangelica locutione usus, *pisticum* appellavit oleum *nardinum*, ut significaret purum, putumque illud fuisse, quavis amurca expurgatum, & defæcatissimum. Denique audire non pigeat Vignolium, qui explorandis ipsius Bibliothecarii difficilioribus verbis summam sibi vindicavit auctoritatem. Hinc ad recitatum Anastasii locum hanc subjicit adnotationem = *Oleum nardinum pisticum ex nardo confectum, purum, nullaque rei alterius* (3) *commixtione adulteratum* =. Alteram olei speciem, qua parandis lampadibus valde oblectabatur olim pietas Christianorum, sequentibus verbis declarat idem Anastasius =. *In reditus*, inquit, *domus beati Petri obtulit Constantinus...... Olei Cypri lib. C.* (4) Ante vero quam de hoc oleo aliquid promamus, perplacet ex eodem Vignolio proferre Plinii locum = *Cyprius*, ait, *in Ægypto est arbor Ziziphi, foliis, semine, coriandri flore candido, odorato. Coquitur hic in oleo, premiturque, quod postea Cyprinum vocatur* (5). Quæ cum ita siat, clare inde elicitur, oleum

cy-

(3) *Not. ad eand. pag.*

(4) T. I. *pag.* 94. De eodem Imperatore piissimo narrat idem Bibliothecarius (Vit. S. Sylvestri) Diœcesim Orientis donasse beato Petro, unde oleum, & balsamum excipiebatur pro lampadum alimento, quæ ante altare Principis Apostolorum rutilabant appensæ, de quibus in Epistola S. Petri Damiani ad Candallum pseudo Papam effectum hæc narrat .... *quam possessionem accepta pecunia distraxit, canonemque aromatis, quem accipere solebat, amisit, aliquanto post cum idem Papa prædicto sacrosancto altari quasi devotus assisteret, & oraret quidam terribilis, & grandævus senex, in cujus etiam facie barbirasium videbatur, elato brachio colaphum ipsi vehementer incussit, & ait: Tu extinxisti lucernam meam ante me & ego extinguam lucernam tuam ante Dominum indeque disparuit: Ille vero protinus corruit, & paullo post diem clausit extremum.* Ap. Baron. an. 1061.

(5) *Histor. lib.* 12. *cap.* 24.

cyprium sic appellatum, quod ex foliis, semine, ac flore arboris, cui nomen *cyprius*, educeretur, quemadmodum apud nos fieri solet de nucibus, lini seminibus, Amygdalis, & aliis id genus arboribus. Cum vero hujusmodi oleum gratissimam edat fragrantiam; propterea oleo nostrati, & communi submittere *Cyprium* in deliciis habuerunt veteres Christiani, rati majus se honoris, & culturæ argumentum, ac testificationem Deo per illud exhibituros. Quod vero oleum ex arboris *Cyprii* frutice eductum sit odoris jucundissimi, liquet ex iis Canticorum verbis = *Botrus Cyprii dilectus meus inter ubera mea commorabitur* (6) = In quem quidem locum hæc a viris eximiis producitur expositio = *Est arbor aromatica, quæ fert grana simul juncta, sicut uvis vinea; quæ botrus fert maximus* = *Cyprius vero est arbuscula in Syria frequentissima, coma odoratissima. Ex frutice fit unguentum optimum, & quandam naturam balsami refert* (7). Denique huc etiam in scænam prodire quodammodo gestit noster Macrius, suamque sententiam proferens, erroris Robertum Stephanum arguit: En ipsius verba = *Questo nome (Ciprio) significa il Ligustro; ond' è ch' erra Roberto Stefano nel suo Vocabolario sopra la Sacra Scrittura, con asserire significhi la Canfora ec.* (8). Hæc de olei *cyprii* natura, & usu, unde magis perspicuum fit, veteres Christianos, quod spectat lampades, in id pio, ac vehementi studio adlaborasse, ut solemnioribus anni diebus, ad majorem pompæ celebritatem oleo eas instruerent cyprio liquori admixto, quod quidem ultra lumen satis vividum, insuper odorem effundebat longe gratissimum. Verum ne hic quidem subsistere voluit Christiana pietas; nostrati quippe oleo balsamum sibi complacuit quoque aliquando confundere. Juratissimus hujus rei testis est idem Bibliothecarius; in Vita enim S. Sylvestri hæc habet. *Fontem sanctum fecit, ubi.... ardent balsami lib. CC.* (9). Ex quibus sane indubiis monumentis emergit, diversi generis oleo lampades olim instrui con-

(6) *Cant. I. 24.*
(7) Vid. Mathæi Poli Synopsin Criticor. *Vol. II. col.* 1852.
(8) *Notizia ec. pag.* 149.
(9) *T. I. pag.* 88.

consuevisse, adeo ut communi peregrinum succederet, vel ipsum oleum commune odorato liquori admisceretur. Postremo illud advertendum restat, ipsi oleo ceram aliquando suffectam. Cave tamen ne putes, cera lampades hoc modo instructas, a cerostatis haud discrepasse; siquidem suo loco satis a nobis demonstratum, cerostatorum nomine designata candelabra cum candelis in eorum vertice defixis. Ut ut sit, morem hunc comburendæ Ceræ retroactis sæculis inductum tenere adhuc Romæ visitur in Capella Pontificia, ubi aduritur ipsa cera in lampadibus diu noctuque ante sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum. Eadem pariter consuetudo viget in Vaticana Basilica recurrente Principis Apostolorum natali die; cera enim pro oleo crematur in tot illis lampadibus, quæ mira varietate ante illius Confessionem dispositæ per totum anni curriculum lucent.

De Sanctorum oleis a Gregorio PP. Theodolindæ Longobardorum Reginæ missis.

Cum alibi, ad adstruendum in Christianorum templis lampadum usum, plura ex S. Gregorio Magno loca adducta fuerint, quibus idem usus mirifice firmatur, & constabilitur, apposito studio, prudentique consilio Sanctorum olea reticuimus, quæ ad Theodolindam Longobardorum Reginam, cujus ~~pietatis præconium idem Gregorius~~ in Epistolis suis posteritati mandavit, missa ab eo fuisse testatur Abbas Johannes. Memini quidem, me alibi spopondisse hac de re, quantum necessitas postularet, disputaturum. Modo opus est, ut fidem meam liberem. Primo igitur neminem Eruditorum latere debet, Commentationes, Diatribas, & adnotata de his oleis, quorum *Indicem*, sive *Indiculum* præfatus Johannes contexuit, a gravissimis Scriptoribus edita. Super vero omnia illud observare juverit, tres ex iisdem Scriptoribus publica luce *Indicem* ipsum donasse. Primus itaque Mabillonius Mediolani Codice autographo in papyro Ægyptiaca exarato, illum exscri-

scripsit, typisque extulit (10). Mabillonium excepit alter Monachus Mauro Benedictinus, pari doctrina, & eruditione præditus Theodoricus Ruinartius, eodem Indice typorum formis evulgato, nonnullis tamen discrepantibus lectionibus (11). Ruinartium secuti sunt Operum S.Gregorii Editores (12). Verum præ cunctis commemorandus doctissimus Muratorius, qui de hoc ipso *Indice* satis uberem, & pereruditam Diatribem elucubravit, adeo ut argumentum confecisse dixeris (13). Nunc ergo operæ pretium videtur, *Indicem* ipsum proferre, iisdem variantibus lectionibus, quæ apud prædictum Ruinartium inveniuntur, easque hujuscemodi uncinis () includere.

Notatio (notitia) de Olea Sanctorum Martyrum qui Roma in corpore requiescunt.

Sancti Petri Apostoli
Sancti Pauli Apostoli
Sancti Pancratii
Sancti Euthemi
Sanctæ Sopinæ cum tres filias suas.
Sanctæ Paulinæ
Sanct. Luci..(f.Lucillæ vel Luciæ)
Sancti Processi
Sancti Martiniani
Sancti Crisanti
Sanctæ Dariæ
Sancti Mauri
sanctus Jason (Sancti Jasonis) & alia Sancti multa millia
Sancti Saturnini
Sancti .... ninionis (f.Tipinionis) vel Tiginionis)
Sancti Systi
Sancti Laurentii
Sancti Yppoliti
Sancti Johannis
Sancti Liberalis
Sanctus Blastro, & multorum Sanctorum, sed & alii Sancti, idest CCLXII. in unum locum; & alii CXXII.
Alii XLVI. quos omnes Sanctos Justinus presbyter collega Sancti Laurentii Martyris sepeli-

O *vit*

(10) De Cultu Ss. Ignotorum ad fin. Præfation. &c. pag. 648. Edit. Trident. 1724.
(11) *Act. Ss. pag.* 540.
(12) *Edit. Venet.* 1772. T. IX. *pag.* 294. *& seqq.*
(13) *Anecdot.* T. II. *pag.* 191.

vit.
Sanctæ Felicitatis cum septem filios suos.
Sancti Bonifacii
Sancti Hermetis
Sancti Probi
Sancti Jacynti
Sancti Maximiliani
Sanctus Crispus
Sanctorum Johannis, & Pauli
Sanctæ Agnetis, & aliorum multorum Martyrum
Sancti T...ion
Sanctæ .... eris (f. Soltheris)
Sanctæ Sapientiæ (Spei)
Sanctæ Spei (Sapientiæ)
Sanctæ Fidei
Sanctæ Caritatis
Sanctæ Ceciliæ
Sancti Treciali
Sancti Cornelii, & multa millia Sanctorum.
Sancti Philippi, & aliorum multorum Sanctorum.
Sancti Sebastiani (Sevastiani)
Sancti Laticii (Eusticii)
Sancti Quirini
Sancti Valeriani
Sancti Tiburtii
Sancti Maximi
Sancti Orbani
Sanctus Herculanus
Sanctus Bauso
Sancta Basylla
Olco (... Olea) de Sede ubi prius sedit Sanctus Petrus.
Sancti Vitalis
Sancti Alexandri
Sancti Martialis
Sanctus Marcellus
Sancti Sylvestri
(*Sancti Felicis* hic interserit Ruinartius)
Sancti Januarii
Sanctæ Petronillæ filiæ sancti Petri Apostoli
Sancti Nerei
Sancti Damasi
Sancti Marcelliani
Sancti Achillei
Sancti Marci:

Quas olea sancta temporibus Domni Gregorii Papæ adauxit Johannes indignus, & peccator Domnæ Theodolindæ Reginæ de Roma.

Igitur ut modo singula, quæ difficultatem creant, expendamus, omnibus sane probatur Cl. Muratorii sententia, quod scilicet verbis illis = *indignus, & peccator*, manifesto eliciatur, ab eodem Johanne hunc Sanctorum Oleorum Indicem descriptum. Secundo, cunctis Eruditis firmissima, & concors opinio est, hunc fuisse Johannem illum, qui Theo-

Theodolindæ a Gregorio missus est; deque illo loquitur idem Sanctus Pontifex literis ad ipsam Reginam datis (14). Tandem, ad nostræ sententiæ præsidium, Ruinartii verba ponam = *Olea*, inquit, *Gregorius ad Theodolindam Longobardorum Reginam transmisit per Johannem quendam, qui videtur ipse Johannes Abbas ad eandem Reginam missus &c.* (15). Hæc ille. Una tamen non est inter ipsos Eruditos sententia, de Oleis in *Indice* enunciatis, unde oritur quæstio difficilis quidem, & operosa. Sane mea non refert, ea nunc recudere, quæ scripto Viri doctissimi reliquerunt. Dumtaxat recitatis eorum sententiis, brevi verborum ambitu orationem concludam. Nonnulli igitur, quibus favere videtur Johannes Chrysostomus Trombellius, nobis, dum viveret, familiaritate conjunctus, (16) *Olea* a Gregorio Theodolindæ dono missa putant ex illis fuisse, quæ olim in ampullis, seu vasculis inclusa prope Sanctorum sepulcra ponebantur. Porro veteres Christiani, teste Chrysostomo (17), in animum sibi induxerant, sic Sanctorum corporum propinquitate juvari, ut ampullas olei plenas prope eorum tumulum, & ante sacra illa pignora collocarent, plurimum quidem experientia edocti, hujusmodi oleum morbis pellendis, & aliis quibusque malis averruncandis profuisse. Sic hujus sententiæ Patroni loquuntur. Aliorum vero judicium est hoc; Ajunt, quæ Gregorius Theodolindæ olea misit, ex illorum genere fuisse, quæ a sacro Ecclesiæ Ministro benedicebantur, iisque inungebantur morbis affecti, & occupati; cum autem inter benedictionem, & unctionem conficiendam, Sanctorum nomina pronunciarentur, inde factum, ut ipsorum Sanctorum, qui invocabantur, nomina iisdem oleis adhæserint. Requidem vera constat assuetos olim populos ad Ecclesiæ ministros, nec non ad laicos quoque sanctitate præcellentes, olea ad hunc finem deferre; cum vero Sancti in benedictione, & un-

(14) *Lib.* 4. *Epist.* 4.

(15) *Loc. cit.*

(16) *De Cultu SS.* T. II. *P.* I. *Dissert.* VII. *Cap.* 4. §. 4. *not.* III. *pag.* 29., & *seqq.*

(17) *Chrysostom. homil. in Ss. Martyres.* *Tom.* 2. *pag.* 664.

unctione suo singuli nomine vocarentur, id sane in caussa fuit, ut olea ipsa ab iisdem Sanctis denominationem acceperint. Hisce quidem rationum momentis nituntur Auctores, qui huic sententiæ subscribunt. Denique, nuper laudatus Mabillonius, cui concordi animo adstipulatur Ruinartius, Muratorius, moderni operum Gregorii Editores, aliique permulti (quibus sequendis obstrictum quodammodo me sentio) existimat, hæc olea a Gregorio Theodolindæ lectissimæ fœminæ missa, e lampadibus desumpta fuisse, quæ ante Sanctorum exuvias collucebant. Et sane nemo ignorat, Christianis olim in more positum, ampullas olei plenas e lampadibus sumere ante Sanctorum tumulos ardentibus. Id inter alios planissime testatur Gregorius Turonensis (18). Præterquam quod, Paullus Vernefridus, cognomento Diaconus, ultimi Longobardorum Regis ab Epistolis, memoriæ posterorum tradidit, ut alibi a nobis observatum, Venantium Fortunatum, cum ὀφταλμία, sive oculorum morbo laboraret, Ravennæ in Basilica Ss. Mm. Paulli, & Johannis, accepto e lampade, quæ coram S. Martini Altari ardebat, oleo; ipsoque oculis suis admoto, sanitatem illico obtinuisse (19). Denique menti revocandum, ab Exconsule Leontio oleum Sanctæ Crucis missum eidem Gregorio PP. (20). Sane quidem ambigi nequit, ex illo fuisse, quod ante ipsius Sanctæ Crucis Lypsanothecam in lampade comburebatur. Quid ni ergo adfirmemus, missa a Pontifice sanctissimo Theodolindæ olea,

(18) *Lib.* 8. *Histor. Franc. Cap.* 9. *de Gloria Confessor. Et Cap.* 15. *lib.* I. *Miraculor. S. Martini.* De hoc usu cecinit S. Paullinus *Nat.* II. *S. Felicis.*

Martyris hi tumulum studeant perfundere nardo,
Et medicata pio referant unguenta sepulcro.

Idem quoque testatur Paulinus Petricardius *Lib.* 5. *de Vita s. Martini* sequentibus versibus.

Namque ut sæpe solent præcauto corde fideles
Vasa oleo opplere, & servandæ adducto saluti
Vel justis offerre viris, vel condere sanctis
Relligione locis, quibus aut operatio præsens
Martyris emeritos prodit virtute patronos . . .
His persæpe locis, quibus hoc vicinia præstat
Pacificum exponunt per vascula pura liquorem
Desuper infusi mutandum nectare roris,
Quo fluit in sanctum cœlestis gratia succum.

(19) *Paul. Diacon. Cap.* 13. *lib.* 2. *de Gestis Longobardor.*

(20) *Lib.* 8. *Epistol.* 35. *pag.* 37. T. 8. *Edit. noviss. Ven.* 1772.

olea, e lampadibus sumpta; quæ ante Ss. Martyrum Romæ quiescentium altaria lucebant? Verum quin plura conferam, satis muneri meo, ac disputationi fecisse arbitror. Quare opus modo est, ut vela contraham, & quodcumque operis, & laboris mei fuerit, finem aliquando habeat.

Deo gratias, Christo laudes.

FINIS.

INDEX
RERUM AC VERBORUM

A

B

D

H

L.

N

O

P

V

Z

ERRATA	CORRIGE
Pag. 15. *Coulinus*	*Cudinus*,
16. *Brisonius*	*Brissonius*,
28. *Crysostomus*	*Chrysostomus*,
41. not. 1. *Guillelmus*	*Guillelmus Cave*
42. Monasterij Horiacensis	*Floriacensis*.
67. *S. Benedicti Ab. Avianensis*	*Anianensis*.
96. *De Ellichnij*	*Ellichniis*.
104. Theodolindæ.	*Theodelindæ*

Jussu Illustrissimi ac Reverendissimi D. Vincentii Mariæ a S. Paullo Episcopi Maceratæ ac Tolentini summa animi attentione, & alacritate opus, ipse perlegi, cui titulus — *De Lampadibus seu Lucernis Pensilibus in sacris Christianorum Ædibus &c.* — Non est sane cur laudibus hunc prosequar librum, de quo alia nulla mihi est cura ab officio commissa, nisi ut gravi judicio utrum publici juris fieri queat ostendam. Attamen vero rem paucis complectar. Tantum igitur abest, ut quid in eo repererim, quod S. Ecclesiæ Dogmati, sive disciplinæ adversetur (quam quidem penitus sapientem virum hausisse non indubie ejusdem scripta testantur) quinimo me summopere sapientiam, & artem admiratum fuisse confiteor; qua Auctor contrariam ostendit sententiam Interpetrum super illa Sac. Scripturarum loca e quibus favorem sibi arripere studet. Cæterum tanta eruditio, tantaque alloqutio, & sermonis vis opus istud exornant, ut nemo dubitare debeat quin brevi & amplissimos Italiæ Episcopos, cæterosque doctissimos Viros in sui Auctoris admirationem advocaturum profecto sit: in eo quippe controversia cum sapientia instituitur, omniaque argumenta veritas, dignitas, utilitas ipsa, quantum quidem fas est, comitantur. Quamobrem omnino, ut liber hic typis mandetur existimo, tum quia valde per se utilis est, tum demum quod cum sit suo genere eximius, Ecclesiæ, Italiæ, Piceno quoque novum decus, atq. ornamentum allaturum confido.

Datum Maceratæ in Coll. S. Paulli die 3. Junii ann. 1802.

D. Aloysius Lambruschini Clericus Regularis S. Paulli

IMPRIMATUR


Si videbitur Rev. P. Vicario S. Ufficii &c. Maceratæ die prima Junii 1802.


G. Mastini Vic. Generalis.




IMPRIMATUR

Fr. Thomæ M. Fassini Vic. Sancti Officii Maceratæ.


Fig: I.


Fig: V.


Fig: VI.




Fig: X.


Fig: XI.


Fig: XII.



Fig: XVI.



Fig: XVII.

